BARTHOLOMAEI CAMERARII BENEVENTANI, DIALOGVS, CVI NOMEN INSCRIPTVM EST. RHETOR.



ROMAE, *apud Antonium Bladum Impressorem Cameralem.* 1557.

ILLVSTRISSIMO REVERENDISSIMOQVE IOANNI

Bellaio Episcopo Hostiensi Sacri Cardinalium Collegij Decano.

Bartholomæus Camerarius. P. F.

CVM *magna Grammaticorum turba, qui non modo Rhetores, sed etiam splendidi Oratores videri volunt, vel eam ob causam quotidie in hunc meum libellum impetum faciāt, quasi soli sint, qui res omnes dictione explicandas, prudenter, & composite, atque ornate scribere possint; vel quod ipsum argumentum ætati, ac personæ meæ minimè conuenire putant; à Theologis verò, Philosophis, Iurisconsultisq́;, Medicis etiam compluribus is adeo probatus fuerit, vt publicæ vtilitatis causa typis illum vt tradam quotidie adhortentur, ac stimulent, eò me deduxerunt, vt velut in medio duarum factionum positus, altera ipsum impugnante, altera defendente, dubitem, hæsitem, reuocemq́; interdum. Quamobrem cum statuere per me ipse non possem, vtrius partis iudicio stare deberem, consulendum mihi eum esse duxi, eiusq́; sententiæ acquiescendum, quem eundem inter Oratores maximum Tdeologū, inter Theologos præstantissimum Oratorem, & esse, & ab omnibus haberi intelligerem, & à cuius sententia nec mihi, nec cuiquam alij fas esset prouocare. Is autem qui hoc præstare*

possit cum tu in primis hac ætate sis, ad te opusculum ipsum mittendum, eoq; consilio tibi nuncupandum esse statui, vt quod tu talis vir, tantiq; Collegij princeps de eo senseris, propter eximiam authoritatem tuam, qui recto sensu, & vero iudicio cuncta iudicare soles, reliquos etiam assensuros omnes esse non dubitarem. Vale.

RHETORIS.

CAPVT PRIMVM.

Sententia improbatur eorum, qui Ciceronianæ orationis lenocinia à Theologis, Philosophis, cæterarumq; scientiarum professoribus requirunt.

RHETOR. CAMERARIVS.

NON'NE *merito stomachum mihi ij homines mouent, qui insana nescio qua scribendi cupiditate ducti, atq; ambitione præcipites, tanta temeritate ad scribendum feruntur, vt sine vllo delectu, quicquid in buccam uenit, quibuscunque verbis statim effutiant?* Non'ne *satis multis à maioribus nobis relicti sunt libri?* Quòd *si tantus est scribendi pruritus, si tantum gloriæ desiderium, si tanta eos ambitio tenet, vt se continere non possint, scribant saltem politè, scribant eleganter, ne miseris lectoribus sordido illo, et inquinato dicendi genere obstrepant, atq; eorum aures incondito atq; rudi verborum strepitu feriant.* CAM. *Quem* Philosophorum *post primos philosophiæ principes, nouos libros edere aliquando vetitum audiuimus? quem item* Theologorū *probibitum?* RHE. *Minime nouas lucubrationes in vulgus non esse proferendas censeo, modo ij authores illarum sint, qui hac ætate scribendi copia & vbertate plurimum valeant; ne post hoc, diuini eloquij margaritas, aut ære, aut plumbo includi contingat, quando grauis vi-*

Lutheranorum grāmatistarum rabies.

ri de rebus grauioribus scribentis, oratio non fucata debet esse nec sordida. CAM. Quemnam tu scribendi modum à diuinæ sapientiæ amatoribus requiris? RHE. Eum, qui ex Ciceronis scriptis colligitur, nam vnum Ciceronem ad imitationem nobis proponendum esse, atque omnibus alijs authoribus præferendum censeo. CAM. Cum Pseudo apostolis, sicut & vobis, minimè id curæ esset, vt Ecclesiam super Christi fundamentum ædificarent, sed potius eruditionem in ipsa sermonis elegantia populo ostentarent, ostentandoque id quod pruriat incitare possint, sub quo venena hæretica occulant, Paulus vt ostenderet veritatis explicationem, non in ipso verborum sonitu sitam esse, sermonis se, non verò scientiæ imperitum professus est, cui Augustinus suscribens, vulgatam bibliorum editionem cum suis barbarismis (ut ipse loquitur) ijs prætulit, quæ elegantius erant perscriptæ; quæ cum ita sint, non'ne is qui Christianus est, illorum sententiam explodet, qui non nisi Tullianis uocabulis nos vti debere clamitant, quasi verò præter Ciceronem nemo sit qui latine scripserit? Quis enim hanc eorum inanem doctrinam audiat, qui in ipsa Christiana phrasi, quibus vocabulis Cicero exordiatur, quibus verbis vtatur, commata, cola, periodos, periodorumque numeros considerari oportere censent? RHE. Non eam quidem elegantiam Ciceronis exigo, quæ ornatum rhetoris complectitur, quorum facũdia, colorum, & figurarum lenocinijs orationem ornare conatur, hanc enim artem nemo prudens in tradendis artibus, & scientijs à doctore unquam requisiuit, neque ipse Cicero illa est usus: sed eum sermonem requiro, qui ad artem grammaticæ spectat, & facit

Quẽ in modum Ciceronis elegãtiam Grammatistæ cũ aliud non possunt, à diuinæ sapientiæ explicatoribus deniq; requirunt.

vt unumquodque purè, et apertè dici videatur, vitando solæcismos, & barbarismos, atque vsitatis verbis, et proprijs loquendo. CAM. Solæcismos, & barbarismos vitandos esse fateor, quod autem propriè, et apertè tunc loquamur, cum grāmatistarum delecta vocabula imitamur, & numerum scribendi seruamus, Ciceronis vocabula cæteris proponimus, ac fucato & plerunque scabro dicendi stylo vtimur, sicuti grammatici solent, hoc minimè concedo, atque hanc nimiam religionem fugiendā esse iudico. RHE. Animaduerte Camerari quid agas, etenim omnes ferè hac nostra ætate aliter sentiunt. CAM. Vnusquisque suo sensu abundet, sat mihi est neminem eam ob causam posse damnari, quia hac à te proposita elegantia, res sacras non scripserit. RHE. Ius non scriptum ipsa consuetudo est, introducta iam, quæ iubet, vt Ciceronis elegantiam imitemur. CAM. Erasmi Ciceronianum si legeris, neminem hanc consuetudinem introducere potuisse protinus fateberis. RHE. Quis mundi censorem Erasmum fecit? CAM. Ille plane, qui Doletum vt Erasmi censor esset instituit: ille inquam, qui et vos iudices constituit, vt consuetudinem hanc introductam esse iudicetis? num Ciceronis elegantiæ imitandæ consuetudo ab his introduci potuit, qui vestra sententia id assequi quod quærebant minimè potuerunt? RHE. Centum fermè, & quinquaginta Scriptores eximios Erasmus in suo Ciceroniano collegit; qui etsi Ciceronis elegantiam assecuti non fuerint, huic tamen imitationi operam nauarunt. CAM. Quid tum deinde? RHE. Non'ne isti consuetudinem hanc introducere potuerunt, ut ab illis scribendi formā scriptores acciperent? CAM.

Consuetudinem proponunt.

Nequaquam; nàm pauci scriptores consuetudinem hanc intro-

Ad rem redit. *ducere cum iactura multorum minimè possunt.* REH. *Omnes certè, qui huius doctrinæ contemptores sunt, latine eos scripsisse nunquam audient.* CAM. *Ab illis scilicet, qui diserte se loqui posse abundè rati, quid deinde eruditè scribãt minimè habent, eoque omne studium conferunt, vt aures, non animum possint permulcere:* RHE. *Cur non animum ipsum?* CAM. *Quoniam & pijs auribus si sententia contẽptui habeatur, perpolita verba obstrepunt, et cordibus quoque eorum, qui verbis inhærentes res non efflagitant, nil insitum scriptura relinquit,* Omnisque *delectatio cum verborum sonitu perit.* Hinc *sanè, quia hac ætate multi sunt, qui nudam, atque inanem nescio quam* Theologiã *sectantes, facilè inanibus rebus audiendis attentas aures præbent, hoc aliud prouenit, vt quidam varia lectione ingurgitati, quia Ciceronem imitari se posse arbitrantur (etsi nil minus præstare possint) mox calamum ad manus habeant, quo rerum sanctarum loco, vel hæretica plerunque scribant, vel falsa pro veris substituant, vel scribendo (vti Seneca inquit) aliud agãt. Nũ inter* Orthodoxos *scriptores ij numerãdi sunt, qui aut difficilia nõ explanãt, aut obscura nõ explicant, aut doctos, ne ab indoctis mordeãtur, nõ defendũt, aut ea quæ dispersa sunt, in cõpendium non cõtrahunt? Cur hoc iugum humeris nostris imponere conantur, vt* Ciceronis *elegantiã nõ voluntarij, sed coacti sectemur, quando ipsi palàm fatentur, quandam in* Cicerone *facilitatem, natiuamque perspicuitatem inesse, quam natura cæteris negat. Quod si ita est, nonne stultus is habendus erit, qui iam sequatur quod assequi non potest?* Num *hi*

Ciceronis

Ciceronis imitatores dicendi sunt, qui frustillatim Ciceronis *verba mendicant? num hi elegantia ornati, qui semper alienis ingrediuntur vestigijs? hos'ne inter splendidos Oratores connumerabo, quorum officium est apposite loqui? an potius quorundam mutorum hanc sectam esse dicā, quæ in Italia à splendidissimis* Oratoribus *introducta est, qui eam ob causam ne forte aliquod verbū ab elegantia Ciceronis abhorrens ex ore emittant, neq; latina lingua decem verba loqui, neq; absq; indice totidem scribere (ob hanc inueteratam eorum consuetudinē) aut audent, aut possunt?* Num eos Ciceronianos *esse fatebor, qui non aliam ob causam* Ciceroniani *dici possunt, nisi quia illis longissimis periodis vtuntur, quibus in exordio librorū suorum* Tullius *aliquando vti consueuit? vel illos, qui præter hanc stomachosam longitudinem, frigidi etiam sunt, nec sicut in* Cicerone *legimus, mens viua aliquando in eorum scriptura spirat.* Non'ne *hi, cum nihil minus quàm Ciceroniani sint, & vix à limine diuinam vel humanā philosophiam salutauerint, magna cū infamia* Ciceroniani *imitatores, doctissimiq;* Theo*logi, & videri optant, & ab alijs nominari?* Porrò *quid causæ est, vt hæc vocabula duntaxat admittant, quibus* Cicero *vsus est, alia verò ea re excludant, quia in* Ciceronis *libris illa non inueniunt?* Etenim *si ea ratione, quia* Cicero *præter cæteros eleganter scripsit,* Ciceronis *duntaxat vocabulis vti cogimur; omnes* Itali Florentina *lingua,* Galli Parisiensi, Germani Nonimbergensi *loqui cogentur: Sed ò quàm belle curiosi imitatores* Ciceronis *hi homines habendi erunt, qui librorum* Ciceronis *maximam partem interijsse, atq; eos, qui ad nos per-*

Obserua rogo, cui seruituti, hi qui Ciceroniani videri optāt, sub iaceant.

Ad rem redit.

uenerunt partim mancos, & maculatos, partim etiam deprauatos esse palam confitentes, ita quidem vt multos solœcismos scripsisse videatur, cōtempta deinde enucleatione rerum, quam ab his consecuti sunt, qui erudite, non autem diserte scribere norunt, solœcismos dūtaxat illorum obseruant? Num Brutus, Varro, Sallustius, Cæsar, Sulpitius, & cæteri, qui in ætate Tullij floruerunt, latina lingua scribere ignorarunt? Aut Senecam, Cornelium Tacitum, Plinium, Quintilianum, Quintū Curtium, atque Pontanum vt reliquos omittam, qui hunc in modum Ciceronē non imitantur, ignaros eloquij Romani fuisse dicemus? ferre hoc debemus, vt eam ob causam vitio nobis tribuatur, cum vocabulis Poetarum, atq; Comicorum, vel cæterorum authorum magnæ authoritatis vtimur, quia illi noua vocabula vsurparunt: Ciceroni verò hoc nō interdicatur, cuius isti imitatores haberi volunt? non'ne à Græcis, à Latinis, tum Oratoribus, tum Poetis multa vocabula mutuatus est, atq; innumera ipse nouauit? quid impedit quin hi id ipsum agere possint? Dic amabo tu Rhetor, qui vocabulorum saltem elegantiam à Theologo flagitas, non'ne is, qui summe elegans est, veluti pictura quadam, seu veste res ornat? RHE. Ita sanè. CAM. Qui fœminæ pulcherrimæ formam posteris narrare vult, vestium'ne pulchritudinem intuebitur, an potius ea, quæ in seipsa habet? RHE. Naturæ ipsius pulchritudo intuenda est, ne forte signa rebus non congruant. CAM. Exemplo itaq; hæc vobis sint, vt dimissa elegantiæ veste, ipsas res inquiratis. RHE. Quis hac ætate elegantiam vocabulorum, quam requirimus, nō sectetur, in qua puritas ipsa latini sermonis re-

stituta est? CAM. Num Ciceronis, non solum optimos imitatores, verum etiam æmulatores hac ætate vos haberi contenditis? RHE. Propiores cæteris omnibus nos esse aio. CAM. Id ipsum Hermolai Barbari, Marsilij Ficini, Politiani, Mirandulæ, atque Pontani ætate, ij qui literis operam nauabant, se assecutos esse putarũt: paulò verò post id illis denegantes Bembus, Erasmus, Budeus, Doletus, sua ætate, linguam latinam, quasi postliminio restitutam esse censebant. Nec hodie desunt, qui hanc sibi palmam exhiberi optantes, post hos magna ex parte elegantiam sensim collapsam esse asserãt, quasi penes eos solos adhuc elegantiæ effigies remanserit: Vos item, qui penes vos solos, elegantiam, Dei Spiritum, ac verum euangelium esse contenditis: erit certè tempus cum alij id vobis denegent, quod vos alijs non conceditis, eóque incertitudinis res veniet, vt hunc Ciceronianum hominem quem quæritis, post iudicium, quando Cicero à mortuis excitabitur, inueniatis. Plus porrò oneris vtriusque philosophiæ amatorum humeris imponere cõtenditis, quàm Marcus Tullius exposcat? Ipse qui de Torquato dixit: Oratio me istius Philosophi nõ offendit, nam & amplectitur verbis quod vult, et dicit planè quod intelligam: et tamẽ à Philosopho, si afferat eloquentiam, non asperner, si non habeat, nõ admodum efflagitem, quod Ciceronis placitum à cæteris quoque Romanis probatum est, qui cùm Terentiũ Varronem, ipsumque Ciceronem pro Romanæ linguæ culminibus haberent: ab altero rerum, ab altero verborum doctrinam flagitabant. Alio item in loco, filium magnopere hortatus est, vt non solum orationes eius, in quibus aptè, distinctè, ornatéque locutus fuerat,

Plus noui Grãmatistæ hodie à nobis exigunt, quàm ipse Cicero exposcit.

legeret, sed cæteros Peripateticorum libros, quasi hoc quoque colendum sit, æquabile, & temperatum orationis genus, quo et Plato, Aristoteles, cæteriq; Peripatetici vtebantur. Vtrum enim tolerabiliores hos depictos Rhetores esse putas, qui absque dialectica, morali, speculatiuáq; Philosophia, immo et absq; ipsa Theologia, quam aliquãdo vel per diem à doctore audiuerint, cum paucas tenuerint vocabulorum origines, ita iactabundi circunferantur, vt loquentiæ satis, prudentiæ parũ habeant, atq; graues Theologos floccifaciẽtes, semetipsos cunctis præferant: an verò eos, qui in his toto vitæ cursu, tum audiendo, tum legendo, tum scribendo versati, non admodum culta oratione res ipsas exprimunt?

CAPVT SECVNDVM.

Quanq; aliquos legamus authores, qui disertè, & eruditè dixerint, quia tamen ea intuenda sunt, quæ frequentius accidunt, idcirco vtrunque impleri posse negat.

RHETOR. CAMERARIVS.

Hominem propono, qui vtrunque non admodum inculta oratione assecutus sit, non'ne ille inelegantiori quamuis docto Theologo, vel Philosopho præferendus erit? CAM. Quis negat quæ per se decent, si adornentur, fieri decentiora? nil quidem impedimento esse debet, quin eo modo, quo nobilẽ eruditumq; virum, alteri erudito quidem, sed ignobili præponimus: eodẽ ferè illum, qui cum doctrina alteri par sit, eloquentior illo est, p̃feramus. Etenim omne tulit punctum, qui miscuit vtile dulci.

RHE. Consentis igitur elegantia aliorum vtendum esse, vt simul disertè, & eruditè vtranque philosophiam explanemus. CAM. Arrige aures quæso, ne super incerta re disputare videamur. Hoc planè ego defendere intēdo: Impossibilem rem esse, eūdem hominē, qui elegantiam linguæ latinæ vel alterius, quam patria non dedit, & rerum cognitionē, quasi aliena didicit, disertè, et eruditè vtranq; Philosophiam enucleare posse. Hoc tamen modo impossibilem, quo id quod raro visum est, impossibile dicitur, intuēs quod frequētius accidere solet. RHE. Ab illis igitur abhorrebis, qui quacūque elegantia vti voluerint? CAM. Non sanè, nam sic loquor, ne Philosophi argui possint, si vocabulis suæ artis plerunq; vtantur, quibus vti satis cōmodum, immo necessarium est, vt planè, & dilucidè res ipsæ enucleari possint; experientia docente, facilius, breuius, clariusq; consueta illorum barbarie, quàm eleganti phrasi res difficiles explanari; tametsi in reliquis, quæ faciliora sunt, elegantia cum rebus facilè coniungi possit. RHE. Simul igitur hæc esse posse fateris. CAM. Fateor, At quem hactenus vidimus, qui post deperditum patrium Romanorum sermonem, acquisito vtrunq; fuerit assecutus? RHE. Græcos multos ego afferre potero, inter quos Platonem, & Demosthenem tales fuisse Cicero testatur. CAM. Tales esse potuisse, non autem fuisse inquit. RHE. Potuisse ergo fateris. CAM. Eam potestatem in illis do, quæ cum hactenus visa non sit, impossibilis dici potest: Siquidem nec Plato tali eloquentia scribendo vsus fuit, neq; eam cōmendauit: quinimo Athenienses propterea, quia eloquentiæ studiosi erant, verbosos vocat, suadens vt

Argumentū sup quo disputādum est.

Vocabula Scolarum.

Græci.

Lacedæmones, & Cretenses simul imitemur: quorum illi breuiloquentiæ, hi verò intelligẽtiæ, potius quàm verbis operam dabãt. Nec Demosthenes res, quas à Platone didicit, memoria tenuit, cæteri verò Philosophi omnes, cõmuni Græcorũ lingua vsi sunt, & hoc quidẽ, si Platoni credimus, probè actũ, cui placuit nominibus cõmunibus loqui, generosi animi esse, nouis autem, id est non cõmunibus, sordidi, et illiberalis. Cui assentitur Cæsar, sicut Gellius testatur, præcipiens vtendũ esse verbo vti nummo, latino quidem non abstruso, non obsoleto, hoc quidẽ nos quærimus, hoc quoq; liber Budei nostra ætate viri eximij docet, qui propter quædam inusitata vocabula, quæ etsi latina atque optima videantur, quia tamen communia non sunt, non admodum lectoribus acceptus fuit, itidem et liber Boetij de Consolatione, & alij quam plurimi. RHE. Cæsarem, Catonem, Sallustium Græcis addo, qui vtrunq; assecuti fuere. CAM. In historijs scilicet & agricultura, idq; genus reliquis, non autem in Philosophia, vel naturali, vel christiana. RHE. Ciceronẽ certè excludere non poteris, qui vtrunq; in naturali philosophia effecit. CAM. Etsi scio me apud Ciceronis admiratores, in temeritatis reprehensionem incidere, facere tamen non possum, quin dicam multa illum propter sermonis elegantiam silentio inuoluisse; quod qui Græcos authores legerit, quos se imitari Cicero profitetur, facilè cognoscet. RHE. Nonne Pontanus disertè eruditèq; omnia tractauit? CAM. Multis placet Pontanũ in his moralibus Ciceronem superasse, tametsi ipse quoque eandem ob causam multa omiserit, quæ addenda erant. Non quidem in his experientia eorũ,

Latini.

Cicero.

Pontanus.

de quibus disputamus, quærenda est, sed in metaphysicorum libris, in prædestinationis quæstione, & reliquis, quæ à nostris barbaris doctoribus explicantur, an Cicero, si viueret, sua elegantia vti posset? RHE. Cum omnis ex re atque verbis constet oratio; neque uerba sedem habere possunt, si rem subtraxeris; neque res lumen, si uerba semoueris. CAM. Sententiam Ciceronis banc esse memini, cum Philosophi munus in docendis ipsis rebus consistere dixit, quas ornare Oratores verbis solent, & eodem libro, quamuis suaues grauésque sententiæ, tamen si inconditis uerbis efferentur, offendunt aures, quarum est iudicium superbissimum, cui eam ob causam credendum in primis non est, quia in propria causa, omni semota ratione, quam ipse afferat, ius dicit. deinde sibi ipse contrarius in libro primo Tusculanarum quæstionum, & si eiusdem opinionis fuerit, tandem his uerbis orationem conclusit. Multi iam esse latini libri dicũtur, inconsiderate ab optimis quidem illis viris, sed non satis eruditis. Fieri autem potest ut rectè quis sentiat, & id quod sentit, politè eloqui non possit. Sed mandare quemque literis cogitationes suas, qui eas nec disponere, nec illustrare possit, nec delectatione aliqua afficere lectorẽ, hominis est intemperanter abutentis et ocio, & literis, itaque suos libros ipsi legũt cum suis: nec quicquam attingit præter eos, qui eandem licentiam scribendi sibi permitti uolunt. RHE. Obserua Camerari, quam belle Cicero tuam opinionẽ irrideat. CAM. Hæc saltem Ciceronis postrema uerba, ut uos obseruetis obsecro, quo deinde nobis nostros libros relinquatis, neque deinceps stomachosas uestras elegantias nos legamus, neque uos à nostris

Cicero.

eruditis sententijs abhorreatis. Quis enim possibile hoc esse negat, in cæteris eũdem hominem, & res ipsas complecti, & ornate dicere posse? hoc nos inquirimus, quis nam ille fuerit, qui in sacra & naturali philosophia, addiscendis linguis & rebus operam nauando, utrique ex æquo satisfecerit; qua in re, an Cicero, dum Patrio sermone eloquẽtissimo utitur, inter strenuos seculi sui Iurisconsultos numerandus sit, an item inter sapientes Philosophos, aliorum sit iudicium. Attuli Ciceronem, ut quod illi denego, multo magis cæteris me negare posse intelligas. RHE. Quid de Iurisconsultis sentis? non'ne illi utrũque in uera philosophia obtinuerunt? CAM. Non quidem temerarij aliqui esse desunt, qui perfricta fronte huic tuæ opinioni contradicant; atqui demus tam Græcos quam Latinos omnes, quos enumerasti, tales esse, num propterea cæteri, qui scribendi quoque artem didicerũt: cõparari illis potuerunt? sanè non, quandoquidem illi uigilijs res discebant, natura uerò præstabat, ut patrio sermone ornate possent scribere. RHE. Absque ullo studio? CAM. Exiguo saltem, quantum ad uocabula ipsa pertinet; Sic enim Francisco Petrarchæ datum fuisse cernimus, qui res ipsas summis uigilijs comparatas, ornatis patriæ linguæ uocabulis coniungere potuit: Itidem & Boccaccio. RHE. Perinde loqueris, quasi re ipsa nõ uideamus, multos hac nostra ætate, disertè, & eruditè, res sacras scripsisse? CAM. Multos equidem libros hoc seculo editos tibi ostendere possem, qui etsi elegantia sermonis ualeant, rebus tamen æque non satisfaciant, quorum nomina honestatis causa taceo; nec paucos uidi, qui ornata phrasi longissimisque periodis adeo intenti fuerint; ut quas

Iurisconsulti

Patrius sermo utrunque facile præstare potest.

Longissimæ periodi.

ut quas uolebant res distinguere, nequaquam exprimere potuerint. RHE. Non'ne illorum libri, qui Græca uertunt, & graues Græcorum sententias, & Latinam elegantiam unà cóplectuntur? CAM. Psittaco uocem humanam effingenti, quam ipse nõ formauit, quantum ad ipsas sententias attinet, hos comparare poterimus. Scoti & aliorum eiusdem generis auctorum libros eleganter describant rogo, vt videamus, vtrũ hi, qui uertendis libris operam nauant, ipsos intelligant, vel si intellexerint, an eleganter explanare possint. RHE. Hos ergo, qui huic officio vacant, contemptui habes? CAM. Illos maximè veneror, qui vertendo verum sensum non detorquent, optimæq; nostræ Ecclesiæ consuluisse palàm confiteor; quando illorũ labore multa legimus, quæ hi dũtaxat legere possent, qui linguam Græcã, Hebræamq; callent. RHE. Quæ causa iacturæ tantæ, ut elegantia styli, & res raro simul in eodem esse queant? CAM. Quoniam quanto iuniores, tanto perspicaciores homines sunt, & vetera ĩgenia difficile est reformare. RHE. Quid istud? CAM. Dic amabo, quid politus Rhetor curat? non'ne ut ethymologias proprietatesq; uocabulorum inquirat, atq; elegantias Ciceronis obseruet, vt apposite dicere possit? RHE. Omnino. CAM. Quanto tempore? RHE. Iccirco suo iure eloquentiã sibi Cicero quodammodo uendicabat, quoniam in eo studio ætatem consumpserat. CAM. Demus quinto, & vigesimo anno, id candidos iuuenes assequi, quid aliud tùm erit, quàm totam uitam in altercatione de nominibus consumere? atq; efficere ut ingenium quodammodo his rebus rudibus hebes factũ, nesciat deinde disertè, & eruditè simul scribere? RHE. Poterit certè

Hi q Hebrea ac Græca eleganter vertunt.

Quam ob causam vtrũq; assequi nõ valemus.

is, cui ornatè dicere datum est, rebus Theologicis operam dare, vt deinde, & eruditè, & disertè scribat. CAM. Hoc quærimus, utrum res difficiles intelligere tunc possit, siquidem aut nullum, aut paucos, vel Theologos, vel Philosophos nos legisse contendimus, qui, & præceptis dicendi, & rebus ipsis animum intendere simul potuerint. Quis enim à Theologo, qui cœlestia contemplatur, vel à metaphysico exigat, quod illi præstare non possunt? RHE. Cur non? CAM. Sic enim eorum cogitatio in uarias res distrahitur, vt sententiæ potius præcedentis, quam verborũ, quæ scribunt, memores sint: contra verò hi, qui elegãtiæ student, sic vocabula Ciceroniana collocare conantur, quò omni ex parte elegans uideatur oratio, ut nec res, ipsas uti decet, amplectatur. Ostendunt hæc Musici, qui sic citharam pulsantes mente ad arcana artis musicæ rapiuntur, ut manus habeãt nec'ne, minimè animaduertãt: ita planè, ut natura repugnante, is qui rectè citharã pulsat, æquabiliter concinere simul haudquaquam possit: neque dum alter semicromas (quas musici uocant) suauissimè gutture profert, manu id ipsum agere queat. RHE. Scribat rudi primum sermone, ac postea eleganter, quæ scripsit, perpoliat. CAM. Quid si non possit, num proinde res ipsas sibi à domino enuntiatas tacebit? reliquas equidẽ tunc res ut explicet in Dei gloriam, consulo, potius quam suam quærendo, dimidium uitæ tempus conterat. RHE. Agat per alios Rhetores quod ipse præstare non potest. CAM. Libros Latinè scriptos, ne proprio iudicio saturati fallamur, hoc modo ab ipsis grammaticis corrigendos esse censeo, nempe ut Grãmaticus, qui vocabulorũ proprietatem duntaxat intuetur, Ortho-

Musici.

Hi qui his libros cõponũt, vt eleganter scribant.

quam emẽdationem requirere à grammaticis debeamus.

graphiamq́, puncta, & cõmata respicit, non solum illa emendet, verum etiam solœcismos, vel illorum, qui libros describũt incuria factos, uel authoris, qui cum librum scriberet, adeò rebus intentus est, itidemq́, cum illum corrigit, vt solœcismos satis claros minimè cernat, à reliquis autẽ abstineat, siquidem ꝑ sæpe Grammatista res non intelligens, vt sua elegantia vteretur, modò alud, modò contrarium diceret. RHE. Inelegantissimos quidẽ libros, elegãter Rhetor scribere potest. CAM. Si de facillimis quæstiones proponas, assentior: difficiles autẽ sic tractaret, vt neq; quid libri author scribat, intelligat, neq; quæ ipsi scribũt, ab alijs intelligantur, nam tertia species esset. RHE. Res ergo prius quærendæ? CAM. Etiam, siquidem natura res ipsæ nomina antecedunt, & sine præceptis Rhetoricis, multos ornatè dixisse nouimus, sine rebus verò, quas antea didicerint, eleganter disputasse neminem. RHE. Eò peruueniemus, ut quilibet omni lingua, etsi ineptissima sit, grauissimas res tractare possit. CAM. Nosti'ne quam ineptũ idioma illud Bergomaticum sit. RHE. Sæpe id audiueram quod deinde experientia didici, omni Italico sermone ridiculum magis, ineptiusq; esse: ita quidẽ ut penes Clarissimos Venetos, qui fabulas agunt, ut spectatoribus risum moueant, eo duntaxat sermone utantur. CAM. Quid si uerbis illius, ciuium unus, Aristotelem patrio sermone vertere ausus fuisset? RHE. Pro ridicula mundi Comœdia nobis seruiret. CAM. Et nihilo tamen secius, Clarissimi, doctissimiq; nobiles duo Veneti, Dominicus Venerius, & Federicus Baduerus, & complures docti viri (vt audio) re sic comperta, non modo omni lingua profundissi-

In quam foueam ꝑsæpe q̃dam temerarij Rhetores incidãt, dum res minimè intelligentes elegãter illas scribere volunt.

Res magne rudi sermone possumus explanare.

mas, quasq; scientias, aut uerti, aut tractari posse statuerunt, verum etiam eiusmodi elaborantem hominem cõmendarunt; satius esse existimantes rudi lingua, rerum cognitionẽ cum inerti populo cõmunicare, quàm quòd politiori stylo, quem eligimus, aut ipsi fructu rerum destituantur, aut res ipsæ etiam doctis exprimi nequeant; & hoc quidem rectè, quandoquidem hi pręsertim, qui interpretantur, necesse est, ut ante intelligant quod alijs dicturi sunt; Sic loquantur, ut intelligant alij; cui authoritati minimè refragatur, quod optima vocabula à Rhetoribus accommodentur, quoniam etsi politus illorum sermo atque proprius sit, populo tamẽ, cui scribere hæc sacra debemus, barbari erũt. Quid enim clauis aurea prodest, Augustinus inquit, si aperire quod volumus non potest: qui ergo docere vult, quandiu non intelligitur, nondum se existimet dixisse, quia etsi dixit quod intelligit, nondum illis dixisse putandus est, à quo intellectus non est: si verò intellectus est, quocunq; modo dixerit, dixit. RHE. Concludis igitur ab ipsa latina elegantia abhorrẽdum non esse, si res ipsæ eruditè simul & disertè sic exprimantur, vt nil obscurum non explicatum relinquatur. CAM. Vtique si alicui detur de ipsis Metaphysicis quæstionibus disertè, & eruditè scribere posse, quem ego hactenus non vidi. RHE. Non'ne ridiculi hi potius homines habendi sunt, qui dum latine scribere volunt, id assequi minimè possunt. CAM. Omnino, verum ij erunt, qui delecta vocabula grammatistarum imitari, vel numerũ seruare pro scopo haberent; non autẽ illi, qui his posthabitis; res ipsas explicare conantur. RHE. Refellitur hæc disputatio ab Homilijs ferè omnium Græcorum, & La-

Cur latine scribere volũt hi, qui id assequi minime possunt.

tinorum Theologorũ, qui etsi Ciceronis lingua locuti non fuerint, omnia tamen orationis ornamenta adhibuerunt, neq; quicquam illis potest fieri copiosius vel ornatius. CAM. Qui? RHE. Chrysostomus, Nazyanzenus, cognomento Theologus. Leo, Ambrosius, Hieronymus. CAM. Neq; hi Græci, quos proponis, Attica lingua perpetuo scripserunt, neque cum illis negocium nobis est, qui patrio sermone scribere potuerũt, quod autem subiungis hos latinos Theologos magnos oratores fuisse, mandatum omnium rhetorum in medium producito, qui idipsum sentiant, & vnius mentis erimus; quis enim negat incultum scribendi stylum omnino vitandum esse? quis item non appetat nõ absq; atticismis, nõ absq; pprijs latinis uocabulis scribere? modo nec scabro, nec fucato dicendi stylo vtamur, qua res ipsæ confundantur potius, quã explicentur: quiesce paululũ vt quid de rebus Theologicis sentiam intelligas.

CAPVT TERTIVM.

Modus hoc loco pijs Scriptoribus, qui sacra explicant, ostenditur, quo vti debeant in suis libris scribendis.

CAMERARIVS. RHETOR.

CVM totius eloquentiæ Christianæ hic scopus sit, vt Christum intelligamus, eiusq; gloriam celebremus, quid commune bibliorum æditio nostra vulgata, cum elegantia sermonis latini habere potest? num vt maiori cũ elegantia Christum prædicemus? Nam suam eloquentiam sapientia, quæ desursum venit, habet, satis ab hac rhetorum elegantia, quam tu requiris, differentẽ, in qua quot ex animo uiri Christiani sunt, *quod cõmodũ ecclesia ab ipsa elegantia consequtur*

meliorem emphasim, aptioresq́ dicendi formulas inueniũt, quã in cæteris paganorum libris intueantur, ita quidẽ vt monstruosus homo habendus sit, is qui vel res pietatis, verbis tractat impiorum; vel veritatem Christianam paganis nugis contaminat, & tanq̃ ineptus scriptor, qui aliter quàm res postulat, dicere vult, omnino excludi debet. RHE. Quis vetat quominus idem, & Christianè, & eleganter dicat? CAM. O quàm longe à christiana eloquentia hi absunt, qui in rebus toto genere ab elegantia diuersis, quas nec amant, nec plerunq; intelligunt, disertissimi videri volunt? ignoro equidem vtrum sit magis reprehendendũ, si christianus prophana tractet prophanè, christianum se esse dissimulans (uti christiani quidam Philosophi sæpe agunt, qui dum ea tractant, quæ ex diametro sacræ scripturæ aduersantur, in calce librorum suorum veniam, ne hæretici habeantur, ab Ecclesia petunt) an si materias christianas tractet, vt ita dicam, paganè, quemadmodum hi agunt, qui lenocinio elegantiæ latinæ res sacras edisserunt? Christi planè mysteria sunt, religiose potius quàm eleganter trãctanda. RHE. Non e quidem video, quomodo pietas linguæ Barbaræ magis quàm latinæ conueniat. CAM. Quotiens uis audire? minimè quidem hoc damno, vt qui potest eruditè, & disertè scribere, non scribat, modò lectoribus barbaris, qui pie viuere optant, ipsi quoq; ex diuerso barbari non sint, vel ridiculi penes latinos, dum putant, quia eloquentes sunt, posse pias res & mysteria, quæ ignorant, explanare, et id genus reliqua explicare. Num hi noui scriptores diserti dicendi sunt, qui ea narrant, quæ ignorant, vel potius Theologi cum sua Barbarie

Christiani Philosophi.

Qui Barbari.

illis elegantiores erunt, qui non admodum culta oratione res ipsas explanant? Etenim si Cicero, Salluſtius, Brutus, Cæsar, & reliqui, qui ante Christi aduentum diem obierunt, nunc viuerent, nobiscum his vocibus vterentur, quæ iam à maioribus nostris receptæ sunt, & vsu ita iam trita, vt qui illis vti nolit, dignus planè sit, qui ab omnibus rideatur et exsibiletur: cuiusmodi sunt, Osanna, Amen, Ecclesia, Apostolus, Catholicus, Orthodoxus, Hæreticus, Schisma, Anathema, Marranata, Chrisma, Vnctio, Baptismus, Paracletus, Euangelium, Euangelista, Euangelizare, Propheta, Prophetare, Prophetia, Proselitus, Cathecumenus, Exorcismus, Diaconus, subdiaconus, Presbyter, Eucaristia, Ordo, symbolum; Fides, Gratia, Infusio, Mediator, Pater, Filius, Spiritus sanctus, Christus; non quidem pro patre dicerent Iuppiter, non Apollinē pro filio nominarent, pro virginum regina, Dianam: pro ecclesia, sacrā concionem, pro ethnico, perduellem, pro hæresi factionem, pro schismate, seditionem, pro fide christiana, christianam persuasionem, pro excōmunicatione, proscriptionē, pro Cardinalibus Patres conscriptos. RHE. Non orator, sed ineptus est, & siquis hæc deliramenta loqueretur. nam & Cæsar Druidas vocat, Gallos sacerdotes, cum hæc vox Romana non esset. quid enim elegantiæ detraheret? CAM. Sinite itaq; his vocibus nos uti, & reliquis, quibus Poetæ, & alij scriptores latini vsi sunt, nec perpetuum unum Ciceronem magnifaciatis. sit porro Cicero solus viuus, & ipse solus coràm tota ecclesia cōcionetur, quid ipse ecclesiam docebit? num adulari, immoderatam inanemq; gloriam quærere, inimicos in ipsa concione inse-

Vocabula Ecclesiastica.

Quid à Cicerone ecclesia consequi potest.

ctari, humiles res attollere, magnas deijcere, atque in animos auditorum insidijs obrepere? Quando de ipsa Theologia, uel medicina loquutus est? quando de his, quæ in metaphysicorum libris continentur, plenè tractauit, vt ab ipso hi omnes loquendi rationem accipiant? quot millia rerum sunt, de quibus Cicero ne somniauit quidem? Etenim si illius vtendum esset eloquentia, vti quidam contendunt, nemo scribere posset. RHE. Omnia ornamenta Rhetorũ, Christianis conueniunt, illisque in suis Homelijs sancti quoque viri usi sunt. CAM. In hoc tamen differunt, quia Rhetores falsa persuadere non erubescunt, dum persuadeant. sancti autem viri uera explicando ratione quoque auditoribus suadent, ut inuisa, quæ scriptura continet, credant, hoc enim Basilius docet, qui dum artes gentilium scripsit, rhetoricam perdiscendam hac ratione suasit. RHE. Latinam nos elegantiam à Theologis scriptoribus hac nostra ætate exigimus. CAM. Ore eam ob causam latinam aliorum elegantiam nunc proponis, quia pro comperto habes non posse hanc insaniã defendi vt eleganter non scribant, quotquot latine loquentes, Ciceronis elegantiam imitari nolunt. Atqui latet interim anguis in herba. RHE. Quid istud? CAM. Non'ne vos illi estis, qui cum aliqua vocabula optimi authoris, quibus Cicero non sit vsus, in medium afferuntur, confestim aut nimis vetusta esse contenditis, illo tempore vsitata, quo asperiori, horridiorique sermone Romani vtebantur, quasi à Romano sermone fuerint exclusa? aut cum antiquum vocabulum non est, (ne uos quibusdam insanis Rhetoribus subscribere uideamini, quibus ante vos placuit, vnum Ciceronem tanquam principem, et du-

Quibus astutijs Rhetores vtũtur vt vnũ Ciceronẽ nobis proponant.

cem

cem imitandum esse, illudq́ latinum dici, quod Ciceronianum est: neq̀ aliam ob causam cæteros scriptores latinos euoluendos esse, nisi vt quædam perpauca vocabula inueniamus, quæ ad Medicos, Chirurgos, Astrologos, Pictores, Sartores, Coquos, & Vnguentarios pertinent, à reliquis accipiamus, vel vt quid à Cicerone tum verborum, tum sententiarum alij vel sumant, vel surripiant, vel mutuentur deprehendentes, ad illius imitationem alacriores efficiamur; tum deinde vt illorum erroribus admoniti, qui de recta via declinant, nos ad Ciceronem cupidius recipiamus. Et postremò ne quid rude proferre assuescamus, idq́ genus reliqua, quæ illorum erga Ciceronem studium dicere compellit.) Alia aggredimini via, cum dicitis satis quidem nouum vocabulum hoc est, vel saltem poeticum; neq̀ hoc contenti id comico permittitis, quod epicis, iambicis; idq́ genus reliquis denegatis; qua versutia à vobis inuēta, eosdem Rhetores factis sequimini, quos ore condemnatis, dum vnum Ciceronem tanq̀ principem imitandum esse clarissima voce prædicant: siquidem antiquioribus iunioribusq́ exclusis, atque poetis, solus Cicero quem imitemur inuenitur. Sed quid dij boni, ab istis nouis censoribus audimus? nempe vt Ciceronem imitantes, sic verborum copiam comparemus, vt detur à nobis opera ne integros versus mutuemur, aut quasi centones quosdam ex Ciceronis verbis consuamus. Rursum, ne ea quæ apud ipsum rariora sunt, sed quæ vsitata, & passim occurrentia imitemur: Deniq̀ vt quid stridens, quid bene, quid fluens, quid adhæres cens intueamur, num hanc rationem dicendi suos discipulos Iesus omnium magister docuit, an potius vt nil co-

gitantes loquerentur? RHE. Ergo nec Theologia quidem tantis laboribus, tantóque studio est perdiscenda. CAM. O delirium magnum, num eadem ratione dicendum, frustra legem dei digito scriptam fuisse, frustra quoque euangelia exarata: vel potius quia legendi hi libri sunt, qui testimonium de Christo perhibēt, idcirco nos lectioni insudare oportere, vt legendo ab ipso sermone intellectus donū spiritu sancto operante suscipiamus. RHE. Quid tu à Theologo exigis? CAM. Vt vobis omnibus contemptis Paulum sequatur, qui causam ostendit cur Dei spiritus legem absque elegantia nobis dederit. RHE. Quid ipse inquit? CAM. Sic ait: Nunc autem fratres si venero ad vos linguis loquens, quid vobis proderit, nisi vobis loquar, aut in reuelatione, aut in scientia, aut in Prophetia, aut in doctrina? RHE. Fateor inanem sonitum linguæ disertæ cui res non subsit, nihil prodesse. At veritas, et doctrina Christiana maiorem vim profectò habet, luce orationis ornata, quod docet Lactantius Firmianus, cuius authoritas temere contemnenda non est. CAM. Mihi ergo subscribis, qui eiusdem opinionis sum; Atqui ostende mihi, quis ille? RHE. Duos ego ostendam qui hac nostra ætate eruditè et disertè scripserūt, Sadoletū nimirum, & Marcum Antonium Flaminium. CAM. O te miserum, qui psalmorum explicationem Flaminij haudquaquā intelligens, eruditè psalmos explanasse putas. Sadoleti autem longissima cōmentaria, an difficultates epistolæ ad Romanos enucleauerint, res ipsa docet, ad rem redeamus. RHE. Perge. CAM. Gratias ago Deo meo, quòd omnium vestrum linguis loquor, Paulus inquit, sed in ecclesia volo quinque verba meo

Paulum in rebus theologicis scribendis imitādum esse.

sensu loqui, ut & alios instruam, quam decem millia verborum in lingua, supple, quæ non instruant; exempli gratia, cum phrasim elegantem legimus, quæ latentes sensus non declarat; tunc enim par hic homo alteri grãmatico erit, qui legens scripturam vocabula latina iam intelligit, sensum autem nequaquam; atque hinc, cum ambo simul coniungi deberent, & simul adesse non possunt, potius ab elegantia, quam ab explicatione veri sensus literæ, commentaria nostra decidere oportere censeo, pro quo alia Pauli *verba addam, qui dum linguas, & res simul sibi propositas considerasset: sic ait: volo autem vos omnes loqui linguis, magis autem prophetare, nam maior est qui prophetat, (id est literæ difficultates explicat) quam qui loquitur lingua, nisi (cum lingua simul) fortè interpretetur, ut ecclesia ædificationem accipiat.* RHE. *Ecce quomodo* Pauli *authoritate, tu ipse ostendis, posse res ipsas cũ elegantia explicari.* CAM. *Id ego dixi quod* Paulus *docet, cum enim inquit, nisi fortè interpretetur, ut ecclesia ædificationem accipiat, fieri posse asserit, ut utrumque præstetur, non tamen se id vidisse testatur, sed potius sublimitatem sermonis duntaxat inuenisse ad ecclesiæ destructionem. Non equidem illum scriptorem hodie damnabo, cui si dominus dederit posse disertè & eruditè hæreses occurrentes condemnare, quin ad eruditionem discolorum, qui hanc elegantiam in libris orthodoxis requirunt; omnia omnibus facti, ut omnes lucrifaciant, scribunt, animaduertant tamẽ, qui tales sese haberi volũt, ne utroque careant, dum utrunque se assecutos esse putant. Habent sanè hi, qui elegantiam quærant, authores multos, inter quos* Ciceronem, *atque* Demosthenem,

ipsos legant; res verò Christianas, non in sapientia verbi, immo potius in stultitia prædicationis (secundum mundum, non autem secundum Christum) quærant: siquidem non in persuasibilibus sapientiæ verbis, sed in ostensione virtutis, & spiritus, vt fides credentium non esset in sapientia hominum, sed in virtute Dei, arcana sua Deus ipse nobis patefecit. Etenim si me vos lectores audietis, facile experiemini, quàm pulchrum, quamque utile, ac fructuosum sit, quasdam potius prurientes sententias, exēplàque remotioris doctrinæ, quæ nobiscum maneant, quasi flosculos, in oratione Christiana legere, quàm elegantiam audire, quæ nos deinde musicæ instar confestim fugiat. Est nanque in sacræ scripturæ eloquentia uis tanta, vt foris aures demulceat, intus verò, energia quadā non solum carnis sensum alliciat, verū etiam intrinsecus lectoris animam penetret, atque humillimam, pietatisque studiosam faciat, vt nusquam quispiam rudem hunc ecclesiæ stylum legat, quin suauitatem quandam cœlestis spiritus sentiens, calorem cœlestis ignis hauriat. Hunc enim calorem si Protestantes aliquando in suis cordibus sensissent, minimè perpetuo studio, ne ex diuinis scripturis, simpliciorum animi rectè doceantur, perficere conarentur; neque per cōmentitia ipsorum dogmata lenocinio elegantiæ coniuncta, ueritas refelleretur, dum auditores indocti eos, quoniam disertè dicere audiūt, vera quoque dicere existimant, quod utique non fieret, nisi quadā carnis delectatione suauiter dicerētur. RHE. Quid magis potest esse contra te, quàm id quod tute nunc affers, nam si tanta vis est in eloquentia, et in polite scribendo, vt etiā hæretici, qui veritatem oppugnant, animos hominum suauitate

Sacræ scripturæ elegantia.

Quam ob causam Lutherani elegātē scribendi modum proponant.

scribendi ad se attrahant, quid faciat, si quis ad uerum, et pium propositum docendæ veritatis lucem verborum, & orationis accommodet? CAM. Quotiens loquar, optimam rem esse si vtrunq; habeamus? vos planè Oratores huius tanti mali ea de re causa estis, quia ueritatem scripturæ ignorantes, ad ostentationem potius, q̃ ad publicam ecclesiæ Christianæ vtilitatem, & loqui, et scribere conamini. Nam qui Christianus est, & eo animo ad scribendum venit, vt doceat, non eò studium conferre debet, ut eloquētiam ostentet, sed conari ut planè, ut facilè omnia, quo ad fieri potest, perscribat, ne legentium animos suspensos teneat; præsertim cum Ecclesia Christi, non de Academia et Liceo, sed de vili plebecula congregata sit, ut per infirma mundi, confundat fortia, non autē in sapientia uerbi, ne euacuaretur crux Christi. Non quidem eloquētem medicum æger quærit, sed sanantem. RHE. Quid si ita accidet, vt idem ille qui sanare potest, comptè de his quæ facienda sunt disserat? CAM. Boni consulet, Seneca respondit, non tamen erit quare gratuletur sibi, quod inciderit in medicum etiam disertum, hoc enim tale est, quale si peritus gubernator, etiam formosus sit: belle docens, etiam quando elegantia, et res simul una oratione complectuntur, dexterū oculū res ipsas intueri oportere. Multos nanq; legi, qui scribendo res non intellexerint, hos uerò, qui politè scribendo difficiles sentētias scripturæ explicauerint, tu ipse ostende. At quid si ꝑpaucos ostendas, num ad ea, quæ raro eueniunt sermo noster adaptandus erit? Hac enim rōne tanquā hæretica à patribus tam euangelia multorū, quam acta exclusa fuisse testatur Eusebius, quia et ipse stylus multū ab ecclesiasti- Seneca Eusebius

ea cõsuetudine deprehẽdebatur esse diuersus, sensus quoque ipse, & omnia quæ in his continebantur, longe ab apostolica dissonabant fide, euidentissime ostendens, ecclesiæ tum fidem, tum stylum eos sequi oportere, qui sacra enucleare optant, siquidem non huic vel illi, sed populo, hoc est sapientibus atque insipientibus, dum illa explicamus, debitores sumus, et cum plures sint res quam vocabula, homo natura animal ciuile atque politicũ, hoc agere debet, vt suos conceptus alteri per eas uoces indicet, quæ notas contineant earum rerum, quæ in anima sunt, nõ autem ut verba rebus præferant, cum nil tam ridiculũ cerni possit, quam uerborũ sonitus inanis sine sensu ac scientia. RHE. Satis esse putamus, si non penitus inculto eloquio hoc tempore sacra explicentur. CAM. Quid si nulla eloquij uis illis data est, uel illo seculo nati sunt, quando non adeò bonis literis uacabant, num propterea pusillanimes erunt? Sanè non, quin potius grauem horum doctrinam, quasi pulchram puellam capillis hirtam, in medium producant: læti, quòd si caruerint elegantia, referti sapientia eorum libri erunt. Animaduertant quæso Oratores isti, hæc omnia quæ scribimus, commentaria esse, quæ alium interpretem, vt illa explicet, haudquaquam requirere debent, sit vobis Budæus magnus grammaticus pro exemplo, cui hoc contigisse vidimus: nolite (obnixe rogo) verborum laudem aucupari, sed potius vt quæ ab alijs dicta sunt, ita intelligantur, ut dicuntur, obscura disserendo, manifesta perstringendo, atque in rebus dubijs immorando. Fugite morbum hunc, fugite, quem hac nostra ætate hi introduxerunt; qui tum patrũ antiquorum, tum scholasticorum solidis fundamentis exclusis,

Patres illi, qui eloquentiam non colebant.

Lutherani.

linguarum scientia tumidi, qua maiori ex parte carēt, ecclesiam catholicam conturbare conantur. RHE. Omnes qui disertè scripserunt, à senioribus iam eliminati fuissent, si quæ tu dicis vera essent. CAM. Ostende quæso, vbi sapiens inter graues senes causarum naturalium perscrutator? vbi grammaticus? quotus quisque in senectute hac ætate nostra Aristotelem relegit? quot graues viri, qui in rebus quoq; ualeant, Platonis, vel Demosthenis, Polemonis, Quintiliani, ac cæterorum generis eiusdem libros in manibus habent? vix enim in angulis otiosi eos paucissimi senes reuoluunt; rusticanos, et piscatores nostros totus orbis legit, vniuersus mundus. Vtinamq; in eorum sententijs interpretandis eum possem spiritum habere, quē ipsi in dicendo obtinuerunt, ut tantam sapientiam, tantam maiestatem, tantam demq; magnitudinem immensam atq; profundam in his verè fuisse mea quoq; opera cerneretis, quanta in uobis Rhetoribus arrogantia, et uanitas perpetuò fuit. RHE. Non'ne Cyprianus summa cum eloquentia quædam scripsit? CAM. Non contradico, atqui ut eam ob causam disertè scripserit, quo posse se sic dicere ostēderet, sed satis eum nolle, neq; in rebus Theologicis nos uelle debere dixit, si nusquam postmodum elegantiam suis oculis proposuit. obserua rogo Orator egregie, q̄ paucas sentētias ab illis locis haurias, in quibus Cyprianus elegantia uti voluit, quàm uero multas ab alijs, in quibus sermonis peritiam ostendere noluit. RHE. Cato septuagenarius literas græcas didicit. CAM. Aliud est idioma aliquod sic addiscere, ut legendo quid uerba sibi uelint, intelligant, aliud, illius elegantiam, leporem, atque ornatum in memoria sic

Cyprianus.

Cato.

habere, vt loqui, et scribere eleganter possit, quo ipso Cato destitutus fuit, nam linguæ externæ, ad multarum rerum cognitionem sunt necessariæ, ornatus verò earum, & elegantia non item: satis cum sit, alterum barbariæ scopulum ne dissona audiantur, alterum elegantiæ, quæ obscuritatem rerum parere persæpe solet, nos scribendo vitare; vt quasi inter Scyllam, & Charibdim per medium ambulantes, lucida phrasi res sacras explicemus. Hoc enim in summa Cicero lib. primo officiorum nos docere voluit, cum dixit. Admodum autem tuēda sunt sua cuiq; non vitiosa sed tamen propria; quo facilius decorū quod quærimus, retineatur. Sic enim est faciendum, vt contra naturam vniuersam nihil contendamus; ea tamen cōseruata, propriam naturam sequamur: vt etiam si sint alia grauiora atque meliora, tamē nos studia nostra naturæ regula metiamur. Neq; enim attinet repugnare naturæ, nec quicquam sequi, quod assequi nequeas. Omnino, si quicq; est decorum: nihil est profectò magis, quam æquabilitas vniuersæ uitæ, tum singularum actionum, quam cōseruare non possis, si aliorum naturam imiteris, omittas tuā. vti enim sermone eo debemus, qui notus est nobis; ne, ut quidā Græca verba inculcantes iure optimo irrideamur.

Cicero in græcissantes.

CAPVT QVARTVM.

Modus studendi quem iuniores seruare debent.

RHETOR. CAMERARIVS.

QVid tu de principibus sentis, qui linguarum & eloquētiæ professoribus præmia satis ampla per quàm liberaliter constituunt, bene eos, an male agere censes? CAM. Optimè

Optimè illos statuisse palàm prædico, vt vocabula rerum condimentum cùm sint, eorum animos reficere, & recreare possint, qui longa lectione defatigati sunt, ut enim terras varia, ac mutata semina recreant, sic mutatio studiorum animos alacriores reddit, et promptiores. Iuuenes præterea, qui illis addiscendis insudant, admodum laudo, modo totum iuuentutis tempus in eis comparandis non conterant: sed potius vt vtrunq; assequi possint, vnà, & rebus, & linguis operam dent: nequi rebus duntaxat vacauerit, vocabula memoriæ commendare nō possit, ne'ue è contrario nominibus intelligendis operam tantū nauantes, iuuentutem adeò hebetem faciant, vt res ipsas deinde pcipere nequeant, plus tamen olei in rebus perpetuò consumendum consulo, quo à pubertate candidi iuuenes ingenium acuentes, altiora contemplari assuescant; Platonis semper memores, qui si negligamus, inquit, nomina, ditiores prudentia ad senectutem veniemus. RHE. Fateris igitur iuniorum esse, ut rhetoricæ operam nauent. CAM. Eam ob causam, ut candidi iuuenes (si vacat) eam discant audacter consulo, quia & ipsos Romanos eloquentiæ principes, non piguit dicere, hanc artem nisi quis citò possit, nunquam omnino posse perdiscere. RHE. Senibus id agere uetas? CAM. Non eā tantifacio, ut maturas, grauesq; ætates frustra in ea discenda uelim consumi, quin potius cauēdum eis esse censeo, ne fugiant ex animo, quæ dicenda sunt, dū diligenter attendunt ut arte dicant. RHE. Non'ne omnibus debitores sumus, vt attētissimis animis, siue quæ scribimus legant, siue quæ loquimur audiant? CAM. Quoniam hi qui eloquenter dicūt, suauiter, qui verò sapienter, salubriter

Plato

Senes

audiuntur, probandóq; delectant, dum minus possunt delectare dicendo: & minimè scriptura inquit, multitudo eloquentiũ, sed multitudo sapiẽtium sanitas est orbis terrarum: rebus potius quam verbis legentium, audientiumq; mentes aures'q; erigere debemus. RHE. Elegantiam ergo negligendam esse à sacræ scripturæ studiosis doces. CAM. Quantum inter eloquentiam et eloquentiam intersit, maturè considerandũ est. RHE. Quid his verbis contendis? CAM. Quemadmodũ quoddam est elegantiæ genus, quod magis ætatem iuuenilẽ decet: ita est quoddam aliud, quod uiris summa laude dignissimis planéq; diuinis conuenit. Hinc fit vt eloquẽtia non dicatur, si personæ nõ congruat eloquẽtis, hinc planè ne discoli ab ecclesiæ elegantia, sed potius è cõtrario patres nostri à grammatistarum procacitate abhorreant, ipsos parentes admonendos esse censeo, ne filios diu in ipsa Ciceroniana elegantia, vel naturali philosophia immorari sinant; siquidem experientia didicimus Ciceronianã eorum phrasim sæpe factam eẽ paganam, ipsosq; Philosophos adeo naturæ se se dedisse, vt quæ supra naturam sunt, difficile credere possint. Ipsisq; præterea iunioribus, qui sobriè bonis literis operã nauauerint suadebo, vt cum orationes, aut epistolas, aut historias scribunt, aut si quando de agricultura, atque alijs eiusmodi rebus sermo incidat, ita se habeant, vt et latinè, et purè scribere possint, atq; etiam, si fieri possit, splendida atq; magnifica oratione utantur, quæ, & candoris, & iucunditatis plena sit, & supellectilem optimorũ verborum copiosissimam habeat, sentẽtias item crebras, luculẽta, eleganti, ac graui phrasi animi sensum exprimẽtes, ita quidem, ut (quẽadmodum Cicero

Inter eloquentiã & eloquentiam multum interest.

Quod malum ex studio philosophiæ, ac bonarũ literarum iuuenibus eueniat.

Quomodo profana scribenda sunt.

Cicero

docet) sonus orationis dulcis sit, literæ uerò neque expressæ, neq; oppressæ, ne obscurum aliquid sit, aut putidum, putidum id uocans, in quo nimia diligentia reprehendi possit. Theologica uerò non absq; Cicerone, aliqua uidelicet elegantia, non tamen affectata, nec crebra sic tractent, vt res verbis, verba rebus adamussim quadrent; scientes vnūquemq; suo sensu abundare posse, modo vocabula ipsa res apertè ostēdant, eiusdemq; sermonis hic finis sit, vt neq; falsam orationem, ea qua utimur, lingua scribamus, neque incongruas comparationes verbis aut nominibus copulemus. Nam nullus adhuc censor nobis datus est, qui ne latinis vocibus (etsi Ciceronianæ nō sint) vtamur prohibere possit: nemo præterea vlli arti, quin vocabulis suis vtatur, interdicere: quibus si utamur, satis est factum, quando artis eiusdem studiosi, & pro se ipsis intelligere, et alijs omnia explanare possunt. Et deniq; ut Bergomenses imitentur consulo, quando non aliter, aut non æque cōmodè res ipsæ enarrari possunt: quemadmodum Scholastici agunt, siquidem non propterea nō dixit; immo dixit potius, qui eo modo dixit, quo probabile est, ijsdem de rebus, si viueret, dicturum esse Ciceronē, hoc est Christiane. RHE. Sordidos atq; incultos Scholasticos nobis comparare non erubescis? CAM. Quid ab eis tu exigis? RHE. Non id quæro ut phrasis eorum delectet, sed vt non offendat. CAM. Aut enim nomina rerum arbitrio constant, aut natura. RHE. Non natura, sed communione hominum in eandem sententiam conueniente. CAM. Quid prohibet, quin hi doctissimi viri clara voce efficere potuerint, vt sanctum eloquium tanq; rectum, Romano præferatur, si tota

Quomodo sacra scribenda.

Nullus censor

Scolastici

hæc nominum impositio arbitraria est? RHE. Irridebunt certè eos hi, qui uocabulorum peritiam habent. CAM. Idem accidet illis apud eos loquentibus. RHE. Cur dum nati inter latinos erant, non latinè loqui elegerunt? RHE. Quoniam trinitatis mysteria, atq; ea, quæ supra naturam sunt indagabant: non autem Romanæ linguæ proprietates ostēdere conabantur. Quid enim Theologis cum grammatistis, non'ne satius est tenui stylo sancta loqui, quàm elegantissima phrasi nephanda? RHE. Etiam Cicero & omnes rectè scribentes stylo tenui vtuntur, cum hoc materia postulat, quare distinguendus à te stylus tenuis, qui fit purissima latina lingua, à stylo barbaro, et inquinato erat, quem tu Camerari tenuem vocitas. CAM. Si stultitiæ tuæ satisfaciendum esset, prolixiorem disputationem habere necesse fuisset, neq; barbariē approbo, vel hunc vel illū stylum improbo, vestram temeritatem accuso, qui res non intelligentes magistri esse vultis, et satis temerario iudicio illos, qui res ipsas intelligentes, quas explicare pro scopo habent, explanantq;, quia mali Grammatici sunt condemnare non erubescitis. Quid enim eiusmodi homines assequi putant, cum aduersum scholas cachinnantur? se certè potius irrident, dum non animaduertūt, minimè eam ob causam, quia elegantiam discere non poterant, eam contemptui habuisse, sed potius, quia cū elegantia res ipse cōmode explicari non poterant. hac enim ratione non modo Theologi, sed Iurisconsulti, Philosophi, atque Medici quotquot cōmentaria ediderunt, rebus operam dandam esse dixerunt, quas ijs vocabulis vestirent, quibus perspicuè omnia facile declarari possent, ne forte id illis accideret, quod

nobis contingit, qui cum ætatem consumpseritis ut disceretis ornate loqui, res quas loquamini nunc non habetis. RHE. Corrigerem hunc locum Camerari, nam omnia stylo, et lingua latina explicari possunt, si nõnulla vocabula, quæ res ipsa attulit, neq; erant in usu latinorum, nõ respuamus, vt Bembus respuebat, qui non scripsisset Paradisum, quod fateor inepti esse hominis. CAM. Tu ineptum Bembum facis, ego verò, quantum ad hoc attinet, utrunq;, cum toties dicis omnia etiã difficillima eleganti stylo explicari posse, quod tamẽ re ipsa minimè ostendis. RHE. Antiquos'ne patres propter hos recẽtiores negligemus? CAM. Quãq; ab vtrorũq; sentẽtijs vos proclamatis; cum tamen optimum scriptorem esse censeo, qui docet simul, et re non uerbis mouet: itaq; inter nouos, et ueteres Theologos se gerit; vt nec antiquorum simplicẽ modestiam spernat, nec ambitiosa quorundam subtilitate, quæ non conducat, rapiatur, siquidem absque censura non est, cum aliquid non triuiale molimur, siue tamen patres nostros imitentur, siue scolas sequantur. Ad hæc vt animaduertant uelim, nempe ut serio studentes, res ipsas potius quàm phrasim principio inquirant, quandoquidem illæ animum, & intelligentiam pascunt, hæc verò aures, quas demulcere fabulis aut historijs eleganter scriptis pro libidine scriptores solent. Facilè quidem Ciceronis vel Demosthenis stylo elegantiorem orationem ori Prophetarum Dei spiritus infundere poterat. sed neq; penes Græcos, æolica, ionica, vel elegantiori attica, aut dorica, neque penes Latinos Ciceroniana, sed cõmuni eloquio, tum Græca editio, tũ vulgata in his, quæ Euangelistæ & Paulus scripserunt, non absq; atticismis, vbi opor-

Differẽtia inter antiquos patres, & Scholasticos.

Diuinæ scripturæ stylus.

tuit, vsi sunt sermone, & hoc quidem idcirco à Spiritu sancto sic institutum, vt ostenderet non vi humani eloquij, sed diuina virtute omnia elucidari. RHE. Qui linguam Hebræorum perfecte tenent, contendunt, sic Hymnos Dauidis politissime scriptos esse, vt & verborum, & sententiarum luminibusq; suis Poetas omnes uideatur superare, idem & de phrasi Esaiæ, magnificóq; & grandi eius stylo affirmant. CAM. Sit ita; quid tum deinde? non'ne minima pars bibliorũ hi libri sunt? Rursum si potuit, in reliquis, non'ne noluisse ostendit? Hæc

Augustinus

enim vti paulò ante dixi, intuens Augustinus, sic ait. vulgarē æditionem cum suo barbarismo utiliorem esse puto, altera literata, quæ integritatem sermonis haberet, Ecclesiam verò propter ambiguum sensum perturbaret; propter hæc Gregorius

Gregorius

quoq; Papa, in præfatione libri Iob in sequentia verba proru-pit. Non barbarismi confusionem deuito, situs, motusq; propositionum, atque casus seruare etiam contemno, quia indignum vehemēter existimo, vt verba cœlestis oraculi restringam sub regulis Donati. Ireneus item ex græca lingua atq; latina ter-

Ireneus

tiam nescio, quam neutram speciem inuenit, qua suo arbitratu inepto sermone res diuinas insigniter explicauit. Sic enim &

Paulus

Paulus Hebræus natus cum esset, in vernaculo Hebræo sermone doctissimus, reconditos sensus patefaciens, nunquam magnopere de verbis laborabat, modo sensus in tuto essent, &

Seneca.

alio in loco Seneca, cum Lucilius quod minus accuratas epistolas ad ipsum non daret, conquereretur; sic ei respondit: Quis enim accurate loquitur, nisi qui vult putide loqui? qualis sermo meus esset, si vnà sederemus, aut ambularemus, illaboratus,

atque facilis, tales meas epistolas esse uolo, quæ nihil habeant accersitum nec fictum, sed si fieri posset, quid sentiam ostendere, & loqui mallem. RHE. Non'ne saltem licebit polita vocabula exquirere, illaq; Barbarorũ loco, dum vulgatam æditionẽ transcribimus, subrogare? CAM. Audi quid Epiphanius vir sine exceptione laudandus, de diuo Speridione testatur, cuius verba hæc sunt: Triphillione orante, cum ille locus uenisset ad medium, tolle lectum tuum, & ambula, cubile dixit pro lecto, mutans nomen: Spirion autẽ indignabundus in eum: tu melior inquit eo es, qui lectum dixit, quia eius uerbis uti confunderis? iisq; verbis Epiphanius addit. Hoc autem fecit populo conspiciente, mediocritatem docens eum, qui eloquij supercilio prætumebat. Hæc ille, quibus admonitus, si Ciceronem eloquẽtia superarem, minimè adhuc iugum seruitutis huius, aut mihi aut cæteris imponerem, sed isto tenuissimo stylo, ea præsertim ratione uterer, quia patrum sententias ad manus perpetuò ut habeamus necessum est, et phrasim diuersi coloris contexere, satis deforme uideretur: vtinamq; id mihi à domino condonetur, vt plenus barbarie, & solæcismis, uel unum obscurũ sensum explicem, uel uni saltem animæ his meis uigilijs prodesse possim, potius quàm eleganti phrasi aerem uerberando, impiorum aures demulceam; nam scriptum est: si linguis hominũ loquar, et angelorum; charitatem autem non habeam, factus sum uelut æs sonans aut cymbalum tinniens. Sic enim omnem elegantiæ, qua careamus culpam, siqua adest, maiore uirtute redimimus, paucos nanque Theologos elegantes uidimus; vulgares autem multos: quod si ita est; num ego melior esse uolo, quam patres

Spiridion

Epiphanius

Quam ob causam i rebus sacris tenui stylo sit vtendum.

nostri fuerunt. Et vt semel finiam, omnes lectores rogatos velim, vt si quam in meis libris elegantiam inuenerint, illam suscipiant; vbi latine, sermonem meum tolerent: ubi non absque solœcismis, phrasi contempta, res ipsas legere non dedignentur; quando hoc meum institutum est, vt bene multum si potero, non autem multa loquar.

CAPVT QVINTVM.

Contendunt nostro seculo Picum Mirandulanum elegantiam cum Theologia ex æquo coniunxisse.

RHETOR. CAMERARIVS.

EAM ob causam, omnes labores hos te sustinuisse expendo, ut nullum inuenisse Theologũ concludas, qui erudite, ac diserte simul dixerit. CAM. Recte animi mei sensum intellexisti, quando si Cyprianus, Augustinus, Hieronymus, et alij ornate scribere potuissent; vt res ipsas explanarent, exactam elegantiam contempserunt. RHE. Vna hasta te feriam, qua omnia, quæ narrasti, uana esse patebunt. CAM. Qua? RHE. Quæram in primis a te, an patrium Mirandulæ idioma, illud Romanorum latinum sit? CAM. Minime. RHE. Suis ergo vigilijs, tum res, tum vocabula Ioannes Picus Mirandula ex æquo nostra ætate assecutus fuit. CAM. Ipse quidem aduersum Hermolai Barbari sensum, in hæc verba exarsit. Expedire res sacras rustice potius legere, quam eleganter scriptas, ne his lenocinijs fidetes, vero haudquaquam nixi, trahere in ecclesiæ sententiam homines quæramus: afferens pro ratione, quia etsi in rebus forensibus, hoc dicendi elaboratum

genus

genus multum valcat, in rebus sacris sic indecens est, quemadmodum si, propterea quia puellam videmus moribus lepidam, atque dicaculam: eam laudamus, osculamurque: eadem in matrona exercere vellemus. Et hoc quidem rectè, quandoquidem si Pauli ad Gentiles, aliorumque Apostolorum ad Hebræos epistolas obseruauerimus: nulla eloquentia eorũ animos ad Christum conuertebant. RHE. Placuerit eleganti, doctóque Pico hunc in modum res sacras esse scribendas: mihi responde, an vtrunque Picus assecutus fuerit. CAM. Noli quæso me alienorum librorũ censorẽ constituere. RHE. Responde. CAM. Quid si Picus talis esset, non'ne ob priuatum, & singulare donum vnus ex paucis diceretur? nos autem ad ea quæ frequentius accidunt, ea quæ loquimur, adaptamus. RHE. Quoniam neminem talem te vidisse inquis, respõde si potes, an homo iste non modo res, et verba didicerit, sed etiam admirabilis fuerit. CAM. Studiosum, ingeniosum, atque pro ætatis mensura doctum fuisse fateor. RHE. Ecquando tu nonigentas conclusiones simul defendisse quempiam vidisti? CAM. An prudentiæ id tribuendum fuerit, tu ipse iudica: at quid verò mea interest si mille defendisset, quandoquidem an simul Theologiam calluerit, scribendique facultatẽ habuerit, nunc disputamus. RHE. Negas tu illius phrasim elegantẽ esse? CAM. Quanquam linguis Caldæorum, Hebræorum, Arabum, Græcorum, atque Latinorum eum operam nauasse sciam, quantum tamẽ in his, quæ ad dicendi peritiam attinẽt, profecerit, meum non est iudicare, sed cõparatione eorum, quæ ipse excussit cum alijs, quæ ornatè scripta sunt, res hæc poterit expendi. RHE. Legisti'ne

Apologiam eius, in qua doctissimum Theologum se se quoque ostendit. CAM. Adsunt, qui dicant Apologiam ipsam cõtrarium cõmõstrare. RHE. Quapropter? CAM. Aut enim eius conclusiones captiosæ in eius mente à principio fuerunt, et hoc malum: aut necessitate ductus, ne aliter de eo sentirent, quàm decebat, multa diuerticula inuenire coactus fuit, & hoc peius. RHE. Sat est eum ab Alexandro fuisse absolutum. CAM. Eam scilicet ob causam, quia Florentiæ manens, Ecclesiæ iudicio se cõmisit. RHE. Disputantem hominem condemnasset? CAM. Nil planè hoc fuisset, si prelo deinde illas nõ dedisset. RHE. Quis ita ait? CAM. Pontificis diploma, seu breue conclusiones impressas, iam ne legerentur, vetitũ fuisse, et cætera, quæ dixi, testatur. RHE. Concludis ergo hæreticũ fuisse Picum. CAM. Absit vt hoc de nostro nobili, eruditoq́ac religiosissimo Pico senserim, aut ut inclytam, egregiamq́ ingenij illius uulgatam per orbem famam ullo modo uiolare velim, sed sic loquor, vt veritatẽ nostræ conclusionis tuear, non esse nostris seculis visum, vt vnus idemq́ homo, tanq́ elegans Ciceronianus, doctusq́ Theologus res præsertim sacras scripserit. RHE. Non'ne admirabilis in Hetaplo fuit, pollicens nihil dicturum ex his, quæ præcedentia commentaria tractauerant? CAM. Magnitudinem ingenij hominis laudo, hoc tamen non laudo. RHE. Quid causæ? CAM. Potuit quidem & aliud pronuntiare, quippe neminem, qui Theologicas literas calleat, illos septem sensus simul literæ Geneseos applicaturum, sed literalem duntaxat mundi sublimaris, ac cœlorum, et septimum, cuius meminit de vaticinio aduentus Christi, vocatione gentiũ

atque toto ecclesiæ profectu, in quibus nil noui ipse attulit. RHE. Vbi Theologi quatuor mundos proposuerunt? CAM. Augustinus vt Platonis doctrinā defenderet, in qua duos posuit mundos; alterum nimirum sublimarem, alterum intelligibilem, idest ipsam Dei rationem sempiternam, atq; incōmutabilem, qua Deus fecit mundum, vtriusque meminit, de angelico Theologos hoc dixisse Picus testatur, quo autem ad quartum hominis mundum, quē microcosmon Græci vocant, si Augustinum legissent, in duos mundos hunc partitum fuisse legissent, alterum nimirum hominis impij, alterum verò hominis iusti. Quibus et sextum addere potuisset, ex verbis Iesu, quādo dixit. Regnum meum non est de hoc mundo, non autem simpliciter dixit de mundo; de illo sentiens, quando noua terra; et nouum cœlum erunt. RHE. Hoc saltem nos ei debere inficias ire non poteris, nempe Philosophis id reuelatum fuisse, quod Moysi, per bellè Picum ostendisse. CAM. Hoc illi minimè condonabo, vt scriptura Genescos perpetuò dicēte: creauit, fecit, absque aliqua præexistenti materia; totum Philosophorum chaos de generatione, et corruptione ipse reuoluerit; quid enim commune diuina sapientia cum stultitia metaphysicæ habet? non'ne illos sensus Philosophicos, & connexa argumenta diuinæ sapientiæ coniungere Picus laborauit, quos Anaxagoras, Empedocles, Democritus, Plato, & Aristoteles inuenerunt? RHE. Ita est. CAM. Cur igitur Picus, qui Thomam legerat, eos hæreticos à Thoma pronūciatos esse nō meminit? Sed quid si nullam hæresim redolerent, num applicatio quædā extranea satis non est, literæ inconueniens, velle Philosophos illorum

chimæris, quas iam dudum narrauimus, diuinam sapientiam indagasse? Hæc autem cum ita se habeant, iudicent nunc lectores, an paradoxa hæc sint, quemadmodum procaces quidam Lutherani latrant, an potius eorum, qui in me debacchantur, ignorantia crassa, aut saltem negligentia magna fuerit, neq; hos authores legisse, neque ea quæ attuli considerasse; vt omnibus expensis, ipsis potius, quàm doctis viris, paradoxa esse confiteantur.

Minimè paradoxa has nostras rōcinationes esse.

CAPVT SEXTVM.

Illorum opinio hoc loco damnatur, qui in Sacræ Theologiæ, Philosophiæ, ac Iuris Ciuilis commentaria debacchantur.

ANDREAS DVDITIVS. CAMERARIVS.

SCIRE ex te velim Camerari, an modus discendi vtranque Philosophiam, quem huic Rhetori ostendisti, ab eo quoq; seruandus sit, qui iuri operā dare vult? CAM. Omnino. DVD. Serò igitur veni. CAM. Quid verbis his dicere vis? DVD. Suades tu mihi vigesimum tertium annum agenti, qui rhetoricæ, græcisq; literis operam adhuc nauaui, vt iuri nunc vacem? CAM. Quid'ni? nam & Cynus Poeta eximius trigesimo suæ ætatis anno librum institutionum audire cœpit, & tamen egregius Iurisconsultus euasit. Itidem, & Accursius. DVD. Vereor equidem ne id mihi eueniat, quod alijs accidisse paulò ante dixisti, qui omnem ætatem in quæstione de nominibus consumētes, adeò hebes ingenium suum reddiderunt, vt res ipsas dein-

Cynus.

Accursius.

de haudquaquam intelligere potuerint. CAM. Absit mi Duditi, vt de te isthuc possit, vel etiam suspicari, quando si vtriusque linguæ peritiam tuam, dictionē viuidam floridam, atque dilucidam omnes altera ex parte commendant, non minori tamen laude, ex altera candidum ingenium tuum, grauéq; iudicium exercitatissimo sene dignum, ad summum omnes docti viri extollunt, Paulus Aemilius præsertim, et Adamus Fumanus nostra ætate, & Oratores splendidissimi, & multis scientijs eruditissimi, qui nemini eorum, quos successores in illis futuros sperant, iniuriam inferentes, tibi primum locum assignant; itaque ingenium tuum virtute comite extollunt, vt vereantur (quia iuueni hoc præstare natura rarò solet) ne penes eos, qui te non viderunt, eorum testimonium suspectum habeatur. DVD. Non equidem hac laude me dignum existimo, sat enim mihi tuo vti consilio esset, si vastum hoc iuris pelagus solo aspectu me à studendi proposito non deterreret. CAM. Cur vastum? DVD. Quis adeò fortis animo erit, quem Digestorum, Codicis, Institutionum, Authenticorum, Feudorū, Decreti, Decretalis, Sexti, Clementinarum, Extrauagantiumq; libri solo aspectu, ne illos legant, nō dehortētur? CAM. Si præcepti illius Apellis memineris, cui diem nullam absque linea prætereundam esse placuit, proculdubio breui tempore experieris, quā facile omnes hos libros perdiscere omnibus sit. DVD. Quis præterea farraginem illam immensam cōmentariorum, aut legere, aut audire poterit, et mox ab eorū Barbarie nō abhorrere? CAM. Ecce mi Duditi, quàm pernitiosum est, Rhetores uelle de rebus, quas minimè norunt, disputare, putas

Multitudo legum

Multitudo commentariorum

sanè tu propterea, quia Ciceroniane scribere, atq; apposité orare potes, declamare in patres nostros posse, itaq; horũ celeberrimorum patrum bellam famam, atq; doctrinam obscurare, age quæso dimissa proclamatione ista, rõne causam ostende, cur ab eorum doctrina debeas abhorrere. DVD. Hos ne ego cõmendare potero, qui latinis vocabulis dimissis, quibus ipsi quoque Iurisconsulti vsi sunt, noua quædam, eaq; inepta, & monstruosa cudentes, barbare & scribunt, et loquuntur? CAM. Nosti quidem tu latinam linguam barbarorum incursu, nõ modo multis seculis sepultã; sed quasi deperditam fuisse. DVD. Ita est: CAM. Qua ergo elegantia illis seculis hi uti poterant, qui uel ius docebant, vel legum difficultatibus enucleandis insudabant? DVD. Dolo potius id egerũt, ut res claras obscuras redderẽt, atq; ita apud vulgũ admirationi essent, quasi nemo ab ipsis per multos annos non edoctus, vel diu in huiusmodi scriptis versatus fuisset, ius nossé posset. CAM. Si tu Iurisconsultus esses, dolum hunc minimè præsumendum esse diceres, deliriumq; hoc irrideres, vt notioribus vocabulis, quæ omnibus illo tempore cõmunia erant, res ipsas occulere studuissent: num cabalæ operam nauabant? DVD. Quendam ego nouum legi authorem, qui se dolum hunc scire testatur. CAM. Num alter Matusalẽ hic homo est, vt rem adeò vetustam, absq; mendacij suspicione possit testari? DVD. Quid mihi si hoc tempore quo restituta est Romani eloquij puritas, vt latine loquendum ac scribendũ sit contendam, respondere tu poteris? CAM. Nec eos aspernandos esse, qui dictione quidem multum non iuuant, sed tamẽ „ rerum copiam suppeditant, vti Aristoteles, Theophrastus, et

Barbaries commentariorum.

Cuiusdam Galli calumnia in nostros Iurisconsultos.

Hac saltem ætate eleganter scribendum esse mordicus contendũt.

Plinius ac cæteri, quorum paulò ante meminimus, fecerūt. Nec ,,
eos, qui disertè, & eruditè simul possunt dicere, quin suo sensu ,,
abundent impediendos esse, respondebo. At ostende mihi quos ,,
hactenus tales videris. DVD. Multos Iurisconsultos hac nostra ætate vtrunque assecutos esse videmus. CAM. Tibi & reliquis, quorum verbis aures demulcent, tales videri haudquaquam dubito, at illis auribus, quæ res quærunt, obstrepunt. Quid enim huic seculo nostro præstiterunt hi, qui alie- ,,
nam laudem multis vigilijs comparatam occulētes, ea quæ ma- ,,
gis eruditè cōmentaria patrum nostrorum cōsueta eorum bar- ,,
barie explicarunt, in eodem contextu, quem explanant, quibus- ,,
dam affectatis vocabulis descripserūt? quid hi, qui voces græ- ,,
cas explicant, quibus in dirimendis litibus opus non habemus? ,,
Quid alij, qui absque prouentu verba tex. corrigere, aut nouo ,,
quodam sensu explanare conantur? præsertim si sensum ipsum ,,
ex reliquis, quæ scripta sunt apertum esse constat, num iccirco á communi doctorum sententia recedendum erit, cui nos stare Iurisconsulti iubent? Qui nam ipsi Iurisconsulti fuerūt? non'ne homines cæteris doctiores? quòd si homines, non'ne reliqui Iurisconsulti, qui post eos extiterunt, saltem propter uim consuetudinis sic interpretandi leges illas, audiendi á nobis sunt. Agant hi noui scriptores, qui libros nouarum interpretationū se edituros promittunt, vt cito ad manus nostras perueniant; et paulò post res ipsa docebit, ad eludendum curiosos scholares eos libros maiori ex parte esse aptos; satis tamen eis est, si hac ratione apud hanc incautam iuuentutem ex indoctis docti habeantur. Veniant citò, vt re ipsa experiamur, an alium sensum

Iactantia Galli.

habeant, ab illis, quos commentaria explicant. At quid si perpaucas correctiones habeant, quam ipsi gloriam sese ex hoc assecuturos putant? num vt sententiæ doctorum eam ob rem deleantur, quia ipsi id (quibusdam emendatis) sentiunt, quod ex cæteris eiusdem legis, vel aliorum verbis excerpunt? num propterea Accursium nugas scripsisse dicemus, vti quidam impudenter acclamant? Etenim si vnam correctionem in medium proferant, quæ probanda esse videatur, decem ex his, quæ hactenus scripserunt, ego proponam, in quibus non inutiles solum fuerunt, verũ etiam aerem verberantes, grammateos se potius quàm Iurisconsultos esse ostenderunt; quid ad nos hanc vel illam legem Pomponij potius quàm Vulpiani esse? quid item in propria vel in tertia pſona Iurisconsultos loqui? quid præterea si antiquiores Iurisconsulti Paulum, & Vulpianum recentiores citant, non'ne satis notum est ex mortuorum Iurisconsultorum libris, Pandectas esse compositas? itaq; facile præpostere in libris illis multa collocari potuisse? quod si ita est, cur scholaribus hoc onus imponere conantur, vt annales reuoluãt, in quibus quis antiquior, quis'ue posterior fuerit inueniant? ac non potius graues Iurisconsultorũ sententias, quæ inclusæ paucis uerbis aliquantulum obscuris manent, non explanant? cur ipsi aut alios non defendunt, aut optimis sentẽtijs non offendũt, vt veros Iurisconsultos eos esse fateamur? Tuum proferas iudicium Duditi rogo, nũm propterea inepti patres nostri fuerint, quia dum non possent eleganter loqui, res ipsas vocabulis incultis explicarunt? DVD. Sanè non. CAM. Malè ergo temporis huius iuuenes se se gerunt, si eam ob causam, quia aures

Altera Galli adinuentio.

Ribaldi doctrina satis inanis.

non

non demulcent, ingrati pro rebus ipsis esse vellent. DVD. Vera ais. CAM. Cur igitur Palinodiam nō concinis? DVD. Non quidem inficias te iturum puto, si dixero ingentem illam commentariorum molem, qua pene totum ius obrutum est, magna ex parte ex futilibus, & otiosis altercationibus, quas puri sermonis contemptus, et ignorantia peperit, natam esse. CAM. Iurisconsultorum quæstiones multas ab his, qui digesta in hanc formam redegerunt de industria eam ob causam omissas esse, quia superfluæ videbantur, haud te latere puto, & tamen eleganter scriptæ à Iurisconsultis erant. DVD. Ita est. CAM. Consequens igitur hoc admittendum minimè erit: scit quispiam Ciceroniane scribere, ergo vtiles quæstiones duntaxat eruditè tractat. DVD. Ignaros homines hos, satis inutiles quæstiones tractasse contendo. CAM. Interrogatio hæc tua responso indigna est, Quis enim est, qui graues, vtilesq; illorum sententias, quæ numerari non possunt satis apertas non cernat? Id'ne illis denegabo, quod neque Iurisconsultis, neq; Theologis, neque Philosophis, neq; Medicis, neque Astrologis, ac cæteris liberalibus artibus condonatum est, ne scilicet inter multa vtilia, multa quoq; inutilia commisceantur? Est tamen vt gratias eis (Aristotele authore) pro vtrisque habeamus, cuius verba sic habent: Non solum ijs, quorum quispiam opiniones approbabit, atq; ijs vtetur; sed etiam ijs, qui veritatem non penitus attigerunt, gratias habere oportet, & hi nanque aliquid contulerunt, nam ex istis inutilibus quæstionibus sæpe ad tractandas vtiles peruenimus. DVD. Deligantur ergo, vt quæ vtilia sunt, ab inutilibus discernantur. CAMERA. Tibi'ne

Altera Galli calumnia.

aut iuniori alicui Iuriſ*conſulto doctoris huius officium deman dari optas, vt frumentum pro zizanijs euellatis?* DVD. *Memor illius ſententiæ* Ciceronis *es, cum ait:* Non *ſolum ſcire artis eſt, ſed eſt quædam ars etiã docendi, in qua Seruium Sulpitium ualde exercitatũ fuiſſe, ideoq́ cæteris excelluiſſe* Iuriſ*conſultis, idem author eſt.* CAM. *In memoria habeo.* DVD. Tu *igitur an hæc monſtruoſa horum doctrina recte tradi poſſit iudica.* CAM. *Quis vnq̃ ulli arti, aut vocabula propria, aut docẽdi methodum negauit? num qua methodo* Iuriſ*conſulti abſque numeris figuris, atq́ lineis docent, eadem* Mathematicus, *&* Geometra, *ſuos diſcipulos docebit? num vti* Logicus *in oſtendendo argumentandi formulas in prædicamẽtis explicandis, captionibus uitandis, & id genus reliquis perpetuò laborat, itidem* Iuriſ*conſulti laborare debeant?* DVD. *Non'ne*

Cicero.

Cicero *dixit.* Sed Iuriſ*conſulti, ſiue erroris obijciendi cauſa, quo plura, & difficiliora ſcire videantur, ſiue quod ſimilius veri eſt, ignoratione docendi, ſæpe quod poſitum eſt in vna cognitione, id in infinita diſpertiunt.* CAM. *Quid aliud* Cicero *dicere poterat? ſciebat enim eam ob cauſam, quia non ſatis accurate de lege agraria, peculatus, & repetundarum in ſuis orationibus ſcripſerat, poſſe à* Iuriſ*conſultis propterea iuſtè reprehendi,* Iuriſ*conſulti tamen, ſuam authoritatẽ in hunc uſq́*

Quod Oratoris obiectum ſit.

diem retinent. Tullius *verò excluſus iam ab illorum cœtu inter oratores numeratur, qui modo id perſuadeant quod volũt,*

Plato

vtrum falſa an vera proponant (ſi Platoni *credendum eſt) parum laborant.* DVD. *Ea* Cicero *propoſuit, quibus in cauſis illis opus habebat.* CAM. *Si qui leges* Iuriſ*conſultorum legat*

ad prima harum legum principia Ciceronem haudquaquam pe netrasse cognoscet. DVD. Eadē quæ à pluribus scripta sunt, sed paucis cōmutatis verbis, ac plerunq; ne cōmutatis quidem toties repetita, ad paucissimum numerum librorum facilè redigi posse censeo. CAM. Sæpe enim de facultatibus proprij inge- nij sui, plus quam in eo sit, sperāt homines. Idipsum planè Lau rentius Valla se agere posse gloriabatur, sed succubuit. Cice- ro quoq; se triduo posse Iurisconsultum esse, & tamen intra inanis gloriæ limites, eius mansit iactantia. DVD. Sic pecca- tur à multis, qui hanc cōmentariorum farraginem nobis reli- querunt, ut cætera quæ per se grauia sunt errata, præ hoc uno leuia ac prope contemnenda uideantur, nempe vt illis imposto- ribus non satis sit barbare, et cōfuse omnia tractare, nisi etiam disputationibus suis sophisticē perpetuo admisceant. Summam enim ingenij laudem esse ducunt, nō uera explicare, sed bonas, vtiles, et acceptas aliorum sentētias petulanter euertere, quasi ipsos pudeat vsquam cum quoq; consentire, et nihil verum nisi idem à cōmuni sensu diuersum sit, quibus præstigijs et cōmen- tis veritatem obruunt, quo aliquid paulò argutius nec ab alijs ante excogitatum in mediū attulisse videantur. Itaq; de huius- modi doctoribus, qui hoc palmarium inquirūt, uere dici potest, quod Antonius apud Ciceronem de Philosophis scribit, ipsi se compungūt suis acuminibus. CAM. Solent meretrices versu- tæ, ne digno nomine vocentur, optimas mulieres in iurgijs præ- uenire, illasq; meretrices appellant. Qui nam furor hic tuus est, vel alterius iurisperiti, à quo sic loqui edoctus sis? eò ne calamitatis peruenistis, vt ignaros rerum tot venerandos pa-

Galli sententia.

Valla

Cicero

Galli calumnia

tres reprehendere, neque iniurijs eos solum afficere, verũ etiam Summos Pontifices, ac Reges, qui tanti eos fecerunt, cõtemptui habere non pudeat? Conspice Duditi ne is, qui talem scientiam te docet, Iacobo Pratensi ludi bonarum literarum magistro similis sit, qui cum Neapoli anno trigesimo ætatis suæ iuri operã dare cœpisset (quasi omnia grammaticis patere debeant) eam ob causam nolle se Franciscum Aretinum, et Bartholomæum Socinum in iure Ciuili, nec Innocentium in iure Canonico legere palàm prædicabat, quia Sophistæ erant, eos Sophistas vocitans, quorum subtilissimas, grauesque sententias ipse non intellegebat. DVD. Quid si ego contradixero eam ob causam, quia horum cõmentaria non intelliguntur à iuuenibus, nec adeò intelligi possunt, videri plerisque ingeniosa, qui ea sola mirantur, & habent in pretio, quæ non intelligunt, et subtilissimam oportere rem esse arbitrantur, quam ipsi non cernant, quæ verò simplicia atque perspicua sunt, quæque plus operis habent, quam ostentationis, ipsis vt puerilia sordent, ac nihili fiunt. CAM. Parum quidem refert à iunioribus hos patres approbari, vel improbari, modo à senibus laudentur iura callentibus: Quis enim nescit summas legum legere, vt deinde libros satis ieiunos componat? itaque lactentes iuuenes non dicam doceat, sed decipiat? Commentariorum nanque mentionem non facit, vt ex suo ipsius capite omnia deprompta fuisse ostendat, dum nil aliud quàm commentaria describere conatur, non quidem in hoc, sed in applicando leges, easque propositæ rei accommodando, strenui Iurisconsulti omnis vis sita est, hoc ipse agat, si sibi fidem haberi optat, nec ex commentarijs anti-

Gallus

quorum leges, quas, citant tacitis authoribus, excerpat, itaque nouos ipsis iuuenibus, nobis autem senioribus satis notos libros excudat. Quis enim hoc audiens risum continere poterit? Nempe vt dum commentaria omnia reijciunt, ipsi noua velint excudere, à suisq; discipulis commentaria scribere permittant, qui quantum in iure profecerint, suis libris ostendunt: Satis esse putantes, vt à quibusdam alter princeps Iurisconsultorum, alter magister vocetur, vel ab alijs nouis titulis honestentur; putant fortasse suos limites hæc commentaria non exire, vt iure ab alijs irrideri possint? DVD. *Illa commentaria hi homines non aspernantur, quæ optima ratione scripta sunt.* CAM. *Illorum commentaria, quæ impressa iam sunt, cum alijs comparentur; & vtrum ipsi scribendi formam alijs præscribere possint, an verò silere debeant, facile iudicari poterit. Quis audiat non vnum, sed omnes doctores, Sophistas vocitari, & hanc calumniam magnis cachinnis non irrideat? Hoc delirium* Duditi *animum meum, vt hæc scriberem impulit, & si senis cum iuuene indecora sit omnis disputatio, quando vti* Plato *ostendit, alter docere, alter verò audire duntaxat debet. Est'ne aliqua stellarum inclinatio, vt quomodo* Lutheranorum *secta hac ætate à* Patrum Theologorum *omnium cõmentarijs abhorret, eodem hi noui scholares, minuti, item* Philosophi *aliqui, eandem sectam introducere audeant? Quis eos docuit, si antiquiores, illos docere non poterant, soli fortasse didicerunt? Ecce quem fructum tulerunt, dum à cõmentarijs, quæ non intelligũt, abhorrent, nempe ut eos Sophistas uocent, et cum alter alterũ docet, totũ ius ambo corrumpãt.* DVD. *Breui fu-*

Simul approbãt cõmentaria, quæ ĉino improbare nequeunt.

Galli verba. turum puto, vt fucus ille, quem pauci hodie perspiciunt, non minus ab hominibus cognoscatur, quã Aristotelicæ (vt de Christiana taceam) philosophiæ professorum impostura, nostro seculo omnibus explorata atq; patefacta est. CAM. Quód Iurisconsultorum commentaria ignorantia ductus floccifacias, impostores verò optimos Philosophos nomines, eosq; irrideas, existimationis tantum tuæ periculo hoc facis, at velle cum Lutheranis omnes catholicos patres reijcere, atq; explodere, si hoc his verbis, quæ locutus es sentis, satis malum esset, caue si sapis

Galli verba. ne Sorbonæ cẽsuram subeas. DVD. Quanq; ex illis tenebris quamlibet densis, ac planè cimmerijs, quosdam fortassis emergere, & ad culmen eruditionis aliquando aspirare negare non audeam, tamen à recta dicendi ratione abhorrẽt, & illis similes sunt, qui Romam petentes, plana ac tuta dimissa via, per aliam asperam & longam, atq; infestam iter facere maluerũt. CAM. Si hos tu damnas, quid de te dicam, qui deuium iter ostendis? DVD. Peruium quidem ante glossas erat. CAM. Viua voce, quæ nescio quid latentis energiæ habet, ab illis iura tunc explanabantur, qui pro glossis erant, vnde & glossæ, & cõmentaria originem habuerunt, Reipublicæ consulentes, quæ vt rectè lites dirimantur, curat, horum iuniorum nenijs omnino exclusis. DVD. Censes ergo hæc cõmentaria ex animo suscipienda esse? CAM. Memor esse debes quantum ad ipsam Theologiam attinet, Moysen gentis Hebrææ, primũ omnium diuinas leges sacris literis explicasse, et tamẽ in hac sacra Theologia cõmentaria iurisperitorum nõ defuerunt (sicut libri Talmud ostendunt) qui ius hoc diuinũ interpretarẽtur, illudq;

In oĩ ætate commentaria legum fuisse.

alios docerent. Hoc quoq; Paulus, *et cæteri* Apostoli *fecerũt, multa ex veteri testamento enucleando, quæ sine eorum expositione aliter fortasse à nobis explanata fuissent*. Quod autem *ad ius ciuile pertinet, reminisci quoq; poteris post curiatas* Romuli Leges, Numam Pompilium *primum fuisse, qui leges* Romæ *tulerit, quas cùm propter seditiosos iudices, qui preceptore carentes, illis abutebantur, populus ferre non posset, & prope viginti annis in desuetudinem abijssent, decem viros legibus scribendis creauit; qui leges ex libris* Solonis *in latinum sermonem conuersas duodecim tabulis siue eburneis, siue æneis exposuerunt, nam præter decem, quas à Græcis habuerant, accepta potestate à populo, corrigendi, & interpretandi leges, has duas tabulas addiderũt, itaq; lex duodecim tabularum appellata est*. Deinde verò alios Iurisconsultos *extitisse, qui summa cum ratione leges has, & cæteras, quæ deinde perlatæ fuerunt, interpretari adeò subtiliter cœperunt, vt ad apices quosdam peruenerint, de quibus minimè curandum esse, noua lege statutũ fuit, ad quæ prætores ipsi animaduertentes, vt omnia rectè constituerentur, æquitatem ipsam ijs apicibus præferendam esse, multis ædictis interdictisq; sanxerunt; quam æquitatem denuo* Iurisconsulti *interpretari cœperunt, modò verba explicando, modo mentem prætoris ad multa perducendo, modò verò ea quæ apertis verbis sancita erant, limitãdo*. Aristoteles *uerò (ut alios taceam) scripsit libros complures, quos hi, qui* Aristotelem *audiuerunt, eam ob causam nouis commentarijs interpretari neglexerunt, quia non solum dogmata* Aristotelis *scribebant, verũ etiam reliqua omnia, quæ pro explanatione dogmatũ necessaria*

videbantur, uoce addebant. Sic enim Theophrastus, Eudenius, & alij eiusmodi, quasi per manus Aristotelis dogmata, vsq; ad Alexandri Aphrodisiensis tempora pduxerunt, qui cum libri illi diu sepulti iacuissent, deinde Romam à Sylla delati essent, eos tum ore, tum scriptis explanare cœpit, cum magnam illorũ difficultatem intelligeret. Deinde autem cæteri Peripatetici, veluti Simplicius, Ioannes Grammaticus, Porphyrius, & alij complures Græci, Latini, & Arabes imitati sunt. Ita quidem vt Aristoteles suorum dogmatum commentum fuerit, sui item discipuli, donec aliorum commentaria habuimus. Hæc enim si rectè expenderis, protinus iudicabis, nullo vnquam tempore Aristotelem, ipsasq;, tum diuinas, tum humanas leges sine cõmentarijs fuisse.

CAPITIS SEXTI §. PRIMVS.

Ratio docendi, discendiq; iuris, ab his præceptoribus, qui à commentarijs abhorrent, hoc loco damnatur.

ANDREAS DVDITIVS. CAMERARIVS.

NON *quidem inutile erit, si studendi modum, quem iuuenibus Iunior quidam hac nostra ætate præscribit, intuebimur, vt deinde quid boni ab illius doctrina sumere debeam, quid item vitare, te loquẽte intelligam.* CAM. *Quæ nam ista sunt?* DVD. *Exigit in primis, ne illotis, vt aiunt, manibus ius aggrediamur, vt mediocriter literis Latinis, ac Græcis imbuti simus.* CAM. *Ego vero eam latinæ linguæ cognitionẽ ab hoc requiro, quæ à iuuene annos xv. nato haberi potest, vt deinde* (Iunioris opinio.)

mixtim

mixtim iuri & linguæ latinæ operam dare possit, itaq; ingenium hebes nō fiat, & simul cum doctor esse cœperit, latine iura cōmodius explicare possit, epistolas item ad amicos dare, & cum oportuerit, appositè, quantum Iurisconsulto cōuenit, orare; Græcas uerò si mediocriter habeat, vt ipse inquit, non asperner, nam vocabula Græca lingua à Iurisconsultis latinis legibus inserta, tum legere, tum explanare cōmodius poterit, si tamen non habeat, eam ob causam non requiram, quia absq; illis perspicuè Iurisconsultorum sensus, atque sententiæ patent: Itidem, & nouæ constitutiones, quæ ex græco in latinum versæ sunt, falsitatis nullam suspicionem habent; velle autem Græcā linguam ad summū callere, uel Hebræā addiscere, uti quidā doctor iuuenis Machlineæ cōtendebat, res Iuriscōsulto satis inutilis est. DVD. *Non'ne Marcus Cato cùm annum lxx. ageret, Græcam linguam didicit?* CAM. *Non tamen vt leges explicare posset, nec tantum profecit, vt eleganter scribere potuisset, satis sibi esse ratus, si legendo, linguam Græcam intelligeret, quem si imitari voluerint, non contradico,* DVD. *Quid per hanc imitationem tu intelligis?* CAM. *Cum aliud verba græca intelligere sit, aliud lingua illa, aut optimè loqui, aut scribere posse: primū permitto, secundū Iurisconsulto veto.* DVD. *Qua ratione alterū ab altero diuellis?* CAM. *Quoniam experientia docet, multos Italos linguam Gallicā intelligere, qui tamen rectè loqui, vel Gallicè scribere ignorāt, satis sufficere Iurisconsulto censeo, si quid voces illæ significent, intelligere possit: nisi Athenis iura explanare velimus.* DVD. *Docet secundo loco, vt quatuor Institutionum libros legamus, perlega-* Iunioris opinio.

musq; CAM. Assentior, modo non absque doctore id fiat. DVD. Magnam illorum partem absque doctore nos posse intelligere censet. CAM. Vera ait, sed quia multa, quædam habere possunt commista, quæ male intellecta, falsa aliqua principia in mente iunioris ædificare incipiant, quod satis permitiosum esset, doctorem vt habeant consulo. DVD. Id ipsum ille suadet, vt studiosi iuuenis labor minuatur. Exigit tamen, vt crebro iccirco hos quatuor libros perlegat, vt memoriter illos recitare queat. CAM. Cum scire leges non sit earum verba memoria tenere, sed vim & potestatem habere, crebram lectionem laudo, verba verò memoriæ commendanda esse non censeo; est nanq; ratio hæc quædam, qua hebes huius iunioris ingenium fiat, neq; incipiat ex verbis ad rés conuolare; Equidem multos vidi, inter quos quendam dominum Ioannem Sancti Iuniani natione Gallum, à quo totum codicem, contextus nimirum absque glossis Beneuenti audiui, qui & Codicis, & Decreti verba omnia in memoria habebat: cõsultus autem de aliquo negotio, nil, quod facto proposito applicari posset, rectè respondebat. DVD. Deinde cum iunior iste Pandectas audire vult, ne eius ingenium multitudine rerum obruatur, veluti in tabula quadam rasa, in eius mente rubricarum continuationem depingi optat, non absque obseruatione aliqua eorum, quæ Iuriscõsulti in ipsis edictis, atque interdictis tractant. CAM. Suspicari incipio Andrea, ne homo iste ab amplissimis campis Rhetorum exiens, cum ad spineta Iurisconsultorum peruenit, absque magistro iuris ciuilis doctor esse voluerit; non quidem, vt vel aggrediamur, uel quædam principio intelligamus, Iuris-

Iunior

H

consultus docet, dum studendi rationem edisserit, sed integrum ius intra annos quatuor legendum esse suadet; quid enim noui aliquid homo iste se inuenisse putat, præterquàm rationem, qua suos Iuniores *confunderet?* DVD. *Quæ confusio?* CAM. *Non'ne Rubricas intelligere, & quædam principia legum intueri ipsi quatuor institutionum libri (si optimè declararentur) commonstrant? hoc quidem, si eum audiremus, huic ab eo instituendo iuueni continget, quod cuidam inani gloria referto euenit, qui dum gloriaretur se cibaria pro rege parata illo die mane comedisse, increpitus à socio, cur id mendacium diceret, respondit, non'ne coquinam regis intrauimus, vbi optimus odor illorum spirabat, unde nobis magnus appetitus prouocatus fuit? ò quot* Pauli *præsertim,* Papiniani, *et* Africani *leges* Andrea *inuenies, quas tu adeò splendidus orator, qui* Latina, & Græca *optimè nosti, atque ingenio multum vales, etiam doctorum commentarijs adhibitis, vix explicare poteris: quot quæstiones præterea utiles ac necessarias tractare necesse erit, quas ut mente rectè concipias, casque vsque ad radices intelligas, vocabulorum oblitus adeò à mente abductus quodammodo videberis, vt an apud te sis, interim non cognoscas.* DVD. *Hoc dem, sed si à te denuò quæram an à notioribus, et vniuersalibus incipiendum sit, vt deinde ad singularia procedamus, quid respondebis?* Iunior
CAM. *Hunc ordinem* Aristotelem, *ipsosque* Iurisconsultos *seruasse respondebo.* DVD. *Opinioni ergo ipsius tu subscribis.* CAM. *Sanè non, nam aliud est in omni re disserenda ab vniuersalibus ad singularia deuenire, vti* Aristoteles, *ac* Iurisconsulti *fecerunt. Aliud de omnibus rebus vniuersalia intelligere,*

& rursum illis omnibus expletis, quæ satis diuersas materias continent, post magnum temporis interuallum ad ipsa singularia venire, quod nemo ante hunc hominem ne somniauit quidem: facile nanque uniuersalia ipsa è memoria excidere possent, antequam singularia explicētur: quid enim aliud est Rubricas intelligere, quam signa quædam eorū quæ in loco illo tractantur, videre? quas si declarare, vt decet, volueris, perinde erit, ac si argumenta capitum alicuius libri legens denos quotidie libros hunc in modum reuoluas, deinde verò nihil intelligas: Si verò illas vt decet declarare volueris, maiori certè tempore opus erit illo, quod ipse requirit; neque aliud interim erit, quàm Institutionum libros rursum minori cum vtilitate audire, maiori verò eaq; inani gloria lectoris, qui Scholares eludere conatur, dum ipse doctorum sententias quasi suas recenset: et de ipsis legibus alieno labore accommodatis indignè triumphat. Hoc quidem perinde iuueni audienti erit, ac si eloquentem concionatorem aures demulcentem audiat, paulò vero post omnium obliuiscatur. DVD. Durum est vastissimum illud pelagus præceptionum, hominem imparatum intrare. CAM. Non'ne Institutionum libros iunior iste audiuit? num ipso initio mare Oceanum intrabit? non quidem, sed vt Scaphis prope littus, deinde amplioribus nauibus paulò longius, tum demum magnis per mare nauigamus, sic satis Iuueni fuerit, si Rubricam optimè explanatam audiat, deinde leges, quæ sub illo titulo sunt: itaque pergat, donec aliquantum eruditus, Rubricas legum, ipsasq; leges, quæ passim citantur, mortuorum libros reuoluēs, solus omnia intelligere possit, non autem veluti

Iunior

pica à viuo magistro ppetuo edoceri velit. DVD. Hæc quæ sequuntur verba, e uestigio addidit; verũ ut operi inchoato fastigium imponatur, nihil prætermittatur eorũ, quæ iuris nostri authores prodiderunt, neq ad cumulandam Iuris prudentiam pertineant. Conabor equidem eum, quem (vt dixi) instituendũ susceperim, quasi decurso spatio, à calce, vt ita dicam, ad carceres reuocare. Itaque iam inde ab initio repetita Pandectarum perlectione, omnia sic excutiam, ut nihil tam munitum sit in his libris, quod non persequar, et explanem. CAM. Nil mirum, si homo iste aliter docens, quàm Iurisconsulti, nudam Pandectarum literam quadriẽnio legendam esse statuerint, hunc docendi ordinem præscribit; nam tempora nouarum sectarũ sunt, quarum vna hæc erit. Dicat rogo vir iste, si principio libros Institutionum, sic relegẽdos esse censet, vt memoriter recitari possint, Rursum Rubricarum seriem ex mente Iurisconsultorum explanare vult; postremo verò, & minutiora ab ouo (quod aiunt) se explicaturum pollicetur, quando causarum patronus, aut Iudex hic eius discipulus esse incipiet, num in alio seculo? DVD. Libros Pandectarum, & Codicis Iustiniani quarto mense se perlegisse ait. CAM. Silere eos debere prudentès censent, qui dicta deglutiẽtes, vel potius discurrẽtes, ea non concoquunt, quæ in eis continentur; quando, si facile est optima obsonia deglutire, satis difficilis eorum concoctio esse solet, num solus ipse sapit, solus oscitanter nõ legit, aut pandectas, et Codicẽ nõ habemus, ut mox experiamur, an hoc tẽpore hi doctissimi Iurisconsulti Galli, qui nunc uiuũt, id ipm agere possint? DVD. Nemo quidẽ est, qui ante eum Tribonianũ eam ob cãm arguere

Iunior

Iunior

Iunior

ausus sit, quia in tractando cuiusque tituli argumento, nullam ordinis aut methodi rationem habuerit. CAM. Eo calamitatis homo iste peruenit, vt sicut quidam hac nostra ætate volentes se Philosophos magnos ostendere, Aristotelem reprehendere cœperunt, ita iste Tribonianum arguat, hoc planè deest, vt ipsi soli corrigendi, interpretandique leges ea potestas detur, quæ decem viris data fuit, vt leges duodecim tabularum corrigerent. Num Iurisconsultorum dicta ordine describere Tribonianus compellebatur? an potius ex immenso illo pellago, quasi per medium profundum incedens, vtiliora nobis tradere? non quidem hæc corruptela ferenda est, vt quidam propterea, quia quatuor vocabula latina, totidemque græca, non tamen sine indice, quem perpetuò in manibus habent, coniungere norunt, sacram scripturam, Pandectas, Platonem, Aristotelem, Hippocratem, cæterosque omnes se se corrigere posse, perfricta fronte audeant. Vtinam præstò hic homo esset, vt experiri possim, an de ijs, de quibus cum interrogarem, sua hac fœlici memoria

Iunior protinus responderet. DVD. Non ita hoc accipi vult, quasi eò aspirare hoc studio posse contēdat, vt omnes casus, qui quandoque inciderint, quidque de singulis respondendum sit, in promptu habeat; natura enim rei non patitur hæc vllis literis, aut scriptis comprehendi, tantum abest vt hominis memoria contineri possint: quapropter eorum stultitiam admirari solet, qui vulgatissimis interpretum commentarijs legendis omnem ætatem conterunt. CAM. Suspicabar iandudum hunc Rhetorem esse, nunc verò his auditis vehemens rei huiusce existimatio in animo meo orta est: incidit namque in illum errorem, qui multos di-

cere coegit, magnam Iuriscōsultorum memoriam esse oportere. D V D. *Aliter fortasse tu sentis?* CAM. *Illis subscribo, si ipsa commentaria intueamur, vel minutas Iurisconsultorum sententias, singularumq́ue rerum determinationes in memoria habere voluerimus.* D V D. *Ei ergo subscribis.* CAM. *Minimè.* D V D. *Cur?* CAM. *Scito mi Andrea in omni lege (quæ nunquam super aliqua specie indubitabili fertur) quinq́ue consideranda esse. Primum ipsam latinam phrasim, quam cum optimè intelligere puto: Secundo factum, quod vt lex fieret, occasionem dedit, & hunc alieno labore descriptum ipse habet: Tertium rationē dubitandi, ne super re indubitabili lex facta sit: Quarto rationem, rem expediendi, quæ duo postrema ipsum quoq́ue commentariorum ope intelligere reor: Quinto prima principia, ex quibus dubitandi, iudicandiq́ue rationes oriuntur, quæ cum paucissima sint, sic memoriæ commēdari possunt, vt raro proponatur quæstio, cui in promptu ab eo, qui illa nouit, responderi non possit; nam certus ille est, qui hæc nouerit, nullam inueniri posse legem, quæ his principijs contraria esse possit; quo fit vt tametsi legis hoc nominatim determinantis memor non sit, id asserere non uereatur, quod principijs ipsis quadrat: quod autem hic homo ista principia ignoret, nil mirum, siquidem commentaria doctorum ista docent, qui moralem philosophiam simul & ius callent, hic autem ab vtrisque abhorret.* D V D. *Postquam suo ordine Iuuenes eruditi erunt, eorum arbitrio relinquit, vt his cōmentarijs se se ingurgitent.* CAM. *Et hoc quidem ut dum ipsum audiunt, eius versutia nō detegatur.* D V D. *Quæ?* CAM. *Nempe vt, dum in commentaria*

Iunioris conclusio.

debacchando, vnde omnia excerpit, quæ ipse quasi sua docet, interim iuniores isti, commentaria non legant, vt solus doctor habeatur. Sine aliquot annos præterire Andrea, & post mortem doctissimorum Iurisconsultorum, quos Galliarum regnum nunc habet, illorum inquam, qui ab his cōmentarijs omnem doctrinam acceperūt, re ipsa experieris, quàm dissimiles successores habituri sint, si hæc pestis interim è medio non auferatur.

CAPITIS SEXTI §. SECVNDVS.

Quomodo hi discere debeant, qui cōmentaria sequuntur.

ANDREAS DVDITIVS. CAMERARIVS.

AGe Camerari, viam mihi commonstra, qua commentarijs mihi propositis, ius discere debeam. CAM. Tibi, qui linguis præditus es, logicæ item, vt formas argumentandi scires, ac morali philosophiæ operam nauasti, quæ multum tibi ad intelligendum principia prodesse poterit, librum Institutionum à doctore optimo, ut principio audias, consulo, qui absque glossis, & cōmentarijs nudam literam explanet, quædam duntaxat prima principia, quorum capax eris, enucleando. Secundo autem anno, & tertio, Pandectas audiens cæteris dimissis commentarijs, Paulum Castrensem, Odofredum, Albericum, & Petrum eme, quos eatenus legas, quatenus textum et glossas declarant; ne alios legendo menti tuæ tenebræ offundantur. postea verò reliquos doctores legito, eaque sit octo annorum ratio studiorum tuorum: memor calami, vt si qua legeris, quæ obseruatione digna sunt, in locis tibi notis illa colloces, itaque memoriam eorum, quæ legeris, conserues. Vnicam item

lectionem

lectionem in die hoc tempore, quo omnia legis, audire memento, ne duas audiendo nullam audias. Occurrentes prætereа quæstiones disputare, tum vt ingenium acuas, tum vt concertare cum patronis assuescas, quotidie ne obliuiscaris. Postremò è schola recedens, vt ciuilia intellectu practico tractare sensim possis, consilia Alexandri, Socini, Decij, ac Decisiones tum Consilij Neapolitani, tum aliorum tribunalium, quantū licebit, percurre: pro causis beneficiorum, Felinum, Consilia Oldradi, et Ludouici Romani, tractatum de beneficio, idq; genus alios, & decisiones rotæ. Hoc enim si effeceris, doctoratus insignia digne accipies, causasq; non admodum rudis agere incipies. DVD. Quis tot librorum volumina legere poterit? CAM. Si non potes omnia, sat erit multa ex eis legisse. DVD. Hoc si egero, apprime doctus euadam? CAM. Tunc potius, siue iudex, siue causarum patronus fueris, veram Iurisprudentiam discere incipies. DVD. Quid istud? CAM. Quoniam leges, quæ in scholis deglutiuntur hoc tempore, Baldo teste, digeruntur, cum Dauide tunc te dicturum non dubito: Nunc cognoui quod bestia eram, putabam me in iuuentute doctum esse, sed ecce quomodo vir iam factus nunc discere incipio, taliq; experimento commotus, cum Iuliano perpetuò dices: si alterum pedem in fouea haberem, adhuc addiscere vellem. DVD. Belle omnes iuris professores, qui iura docēt, imperitos esse his verbis iudicasti. CAM. Cum multos de cathedris iura publice interpretantes viderim, qui etsi ingeniosè iura scholaribus explicarent, causas tamen agere nesciebant, minimè agnoscentes, non aliud esse rititudinem (vt ita loquar) processus ad finem

Iuniorum temeritas.

Cathedrarij

I

vsque ducere, quàm exercitum ad diem belli perducere; siquidem vt illi, hanc arcem oppugnant, quæ commeatui impedimento esse possit, inimici verò ex diuerso eam defendũt: sic intereadum processus agitatur, multa impedimenta occurrunt, quæ nisi è medio auferantur, iustum, iniustum facere possunt, iccirco illorum, qui hoc modo strenuè militare nõ norũt, haudquaquam memini. DVD. Quid si prius hoc egerint, deinde verò cathedram ascendant, iuuenesq́;, vt memoriam exerceant, doceant? CAM. Hos ego supra omnes commendabo, modo dum legunt, potius quæ redundant, reponant, quàm ipsi ea, quæ mane dicturi sunt, nocte discant? Væ illis scholaribus Andrea, quorum magister heri ignorabat ea, quæ hodie scholares docet, quiq́; eos magistros audiunt, qui causas defendere nescientes dulci phrasi eorum aures demulcent, nec aliud ab ipsis præter quasdam futiles vocabulorum correctiones, quasi sub ferula adhuc maneant, quotidie audiunt: quid nam hi præstabunt, qui per medium profundum pelagi huius iuris ciuilis euntes, margaritas, quas ex eo haurire deberent, cum scholaribus communicare haudquaquam possunt? hi'ne optimi doctores erunt, qui dum legunt, quasi legum argumenta omnia enarrant, addẽtes, vt quisq́; suũ sibi legum indicẽ scribant? non'ne ex illis hi sunt, qui lactentes dũtaxat, hac inani doctrina enutrire solent, parum animaduertentes coram doctis magistris tales auditores sæpe inueniri, qui multa in magistris, quos audiunt reprehendere possint? DVD. Paradoxũ certe hoc est, eos damnare, qui memoriam exercendam esse suadent. CAM. Absit

Ars memoriæ.

me hoc dicere. DVD. Quid igitur contendis? CAM. Expe-

rientia edoctus es Andrea, quàm cuiq; (etiam imbecillam memoriam habenti) in promptu ſit, omnes domos patriæ ſuæ, aut ſaltem maiorem partem illarum, nomina dominorum, vxorum, filiorum, famulorum, et artes quas exercent memoriter recenſere, is verò, qui exterus eſt, etſi optimam memoriam habeat, & ei omnia ſcriptis tradantur, longiori tempore id agere, nec æquè benè referre poterit. DVD. *Noui, ſed quid ænigma hoc ſibi velit non intelligo.* CAM. *Vis omnes leges in memoria habere?* DVD. *Nil præter hoc opto.* CAM. *Age vt cæteris poſthabitis libris, quaſi ciuitas tua, in qua verſeris, lectio perpetua Iuriſconſultorum ſit, ſic eos intelligendo, vti commentaria doctiſſimorum virorum docent, & protinus memoriter tu quoque abſque labore omnibus quærẽtibus rectè poteris reſpondere.* DVD. *Vllum librum vt legam vis?* CAM. *Aliud diu ſtudere eſt, aliud honeſtæ voluptati parumper indulgere.* DVD. *Quid de indice propria manu ſcribẽdo ſentis?* CAM. Indices.
Hi veri indices ſunt, qui omnia cõmonſtrant; ſi tamen hi, quos tu dicis, fiant, non improbo, modo initio iuuentutis non ſcribantur, quando nullum iudicium, nullumq; rerum delectum ſcholaris habere poteſt, ſed in doctrina creſcere incipit; indices inquã, in quibus neq; formulæ argumentorum, quæ aut excluduntur, aut permittuntur contineãtur (ſiquidem laborem hunc Albericus, & poſt eum Lucas à penna ſuſtinuerunt) neq; pomilegum Alexandri, Baldi, Troiani deſcribant, hæc enim tum puerilia ſunt, tum laborioſa potius, quàm ingenioſa veterano milite ſatis indigna. DVD. *Quæ igitur ſcribam?* CAM. *Illas ſententias in hoc tuo indice te ſcribere velim, quibus in dirimendis li-*

tibus utaris, non autem ut Thrasonis instar, quibusdam flosculis plebi te Iurisconsultum ostendas. DVD. Quid præter continuum studium ad exercendum memoriam in optimis sententijs iuuentutis tuæ tempore seruasti? CAM. Tres libelli è latere meo nunquam discedebant, quorum in vno sententiam cum lege ipsa, in qua sententia continebatur, scribebam. In altero, sententiam absque lege. In tertio legem absque sententia; itaque quotidie in singulis, quas poteram, aut Iurisconsultorum, aut Canonum, aut Feudorum, aut glosarum, aut doctorum, aut constitutionũ regni sententias colligebam, atque memoriæ mandabam, die verò Sabbati; & Solis num omnia quæ didicissem memoria tenerem, hoc modo experiebar: librum scilicet illum die Sabbati in primis legens, in quo sola sententia, absque Iurisconsulti lege, vel doctoris loco continebatur, etsi è memoria exciderat, promptum remedium habebam videndi alterum librum, in quo sub eodem numero lex scripta, vel doctor erat, vt facilè illum reperire possem. Altera verò die Solis, tertium librum legebam, in quo sola lex scripta, vel doctor erant, id ipsum agens, si è memoria quid in se lex contineret, excidisse sentiebam. in fine autem mensis, pro toto mense pluribus diebus id ipsum agebam, identidem per menses, & annos, quem in modum die, qua insignia doctoratus suscepi, plusquam quinque millia sententiarum numeraui, quas in memoria habebam.

Pro memoria.

ℂ Primus liber sub numero. 1. Feuda paterna nõ hæreditaria alienari non possunt absque consensu agnati. c. i. de Alie. Feud. Pat.	ℂ Secũdus lib. nume 1. Feuda paterna non hæreditaria nõ possunt alienari absq; consensu agnati.	ℂ Tertius liber sub numero 1. c. Primum de Alien. Feud. Paterni.

DVD. *Cur numeros in margine ponis?* CAM. V*t promptũ sit ad primum librum redire, in quo & sententia, & contextus simul script. sunt.*

CAPITIS SEXTI §. TERTIVS.

Ordo docendi, quem hi seruare debent, qui Commentaria sequuntur.

ANDREAS DVDITIVS. CAMERARIVS.

QVIS *legendi modus?* CAM. *Cura vt prius ad legendum idoneus sis, quam rationem legendi inquiras.* DVD. *Quid si absens tunc eris?* CAM. *Alios de re hac consulere poteris.* DVD. T*uo ex ore hoc scire opto.* CAME. P*ræcepta, quæ à doctore seruanda sunt, ne indecore legat, hæc sunt, quippe, vt tam corporis, quam digitorũ, ac brachiorũ gestu in docendo vtatur; tempusq́ sciat, quando uox mutanda sit, ne vno dicendi modo, & plerunq; cantando, auditorum aures offendat: sed mutatione vocis eos attentiores reddat.* H*æc enim te (qui Ciceronis, &* Q*uintiliani præcepta, tam diu legisti) latere haudquaquã existimo, illa memento seruare.* D*einde cum* R*ubricas aggredieris, noli quæstiones illas tractare, de quibus doctores in ea concertare solent, vel præfationes longissimas præmunire, in quibus, vt docti videantur, decem, & plerunque quindecim dies consumunt; sed summa quadam lucida, veluti breui epitome eas eatenus explica, quatenus ad ipsius* R*ubricæ, & literæ explanationem necessaria sunt; vbi verò quæstiones desint, perpetuo (optimi doctoris officio fungens) dum* R*ubricas explanas, principia, quæ legis-*

latores (quasi pro basi legis promulgandæ) habuerunt, eos doce, nam hi veri termini sunt, quos iuniores, medios item scholares, atque eos, qui magnos progressus habent, ipsosque doctores scire necesse est, ne cum illis erret, qui putantes illos scholares rectè terminos didicisse, qui definire aliqua norunt, vt pote quid sit tutela, idque genus alia, tametsi ea ignorent, quæ fundamentũ, et basis omnium legum sunt, quæ de ipsa tutela loquuntur. De*inde volo, vt in contextu explicando, ea duntaxat obserues, quæ notanda sunt, etsi deinde aliqua extranea tractari cõmode postea non poterunt, quàm breuissime illa recensere, dum contextum interpretaris, inutile non erit, modo integrum contextũ in primis explanes, ne auditorum menti tenebræ offundantur.*
DVD. *Quid si omnia cõmode vna lectione narrari non possint?* CAM. *Tunc litera principio explicanda est, sequẽti verò die vel diebus reliqua enucleanda, ita quidem ut contextus, nec absque sua dote explicetur, nec farragine doctrinarũ obruatur.* P*ostea verò cum ad* Gl*ossas perueneris, permitto quidem, vt diuisione vtaris, non tamen adeo minuta, vt mentem scholaris confundas, quin potius viam eis munias, ut cõmodius, & apertius omnia intelligant.* Exigo item, *vt cum iura à glossis citata explanare necesse erit; ante omnia, quasi dicere id nolis, paucis verbis tum* R*ubricam tituli illius, sub qua lex sita est, summatim declares, tum etiam aliqua præmunias, quæ ad intelligentiã contextus necessaria sunt, itaque verba* I*uriscõsulti in ipsis legibus contenta referas, vt paucis verba illa, quæ difficultatem habent, facile enucleare possis, nisi vna ex illis legibus sit, quæ integra lectione opus habent; vt pote. l. si is qui ducẽta. §. vtrũ.*

ff. de rebus dubijs. Quibus hunc in modum explicitis, quædam quasi pro dote illius glossæ, vt dicas cõsulo, ea scilicet, quæ cum Bartholo aut dicenda non sunt, vel cõmode dici non poterũt. Et post ista, Bartholi doctrinam eodem ordine explanare incipias, aliqua in medio doctrinæ illius addens, quæ doctores siue illo in loco, siue in alio pro dirimendis litibus contemplantur. Et summatim sic legere debes, vt quælibet lectio tria contineat, primam, vt terminos, quos paulò ante dixi explices: Secundo verò loco citatas leges, vt decet, explanes, itaq; & iuniorum, & mediorũ, atq; eorum, qui processerunt animos pabulo legum pascas. Tertio autem loco, vt prouectioribus aliqua cumules, vel contempleris, quæ veluti obsonia ipsis conuenientia domum reportent; memor perpetuò, ne illa cumules, quæ ab alijs coaceruata sunt, quæ satis referuntur, si doctorem cites, qui hoc egit, ei, si rectè statuta sunt, subscribens. Vbi verò cumulare vis, noua afferto; noua inquam in campis Iurisconsultorum dispersa hactenus non aceruata; si qua verò contemplatis, grauissima ea sint, & memoratu digna. Postremò bis, vel ter in mense ad summũ, volo vt ab omnibus doctoribus segregatus, philosophari incipias: modò hos defendendo, modo illos reprehẽdendo, atq; ita supra tectũ (quod aiunt) ambulans, apicesq; ipsos attingens, auditorum ingenia acuas; non vt sophistæ fiant, sicuti ille Iurisperitus arbitratur, immo potius, vt mente arcana legis penetrare assuescant, tum vt alios doceant, tum vt mature iudicare discãt: nã qui subtilia nouit, lõge magis crassiora cognoscet. Hoc scholaribus tuis suadeas rogo, ne forte cum illis vitam ducant, qui perpetuò nescio quam galeam nõ ferreã,

ſed carneã ſatis hebetẽ, in capite habẽt à qua ne ſubt liora men te cernant, impediuntur, et quaſi ſtolidi interrogati reſpondent. Hactenus legalia inuitus enarrauerim, quando non illa, ſed Theologica tractare noſtrum nunc inſtitutum eſt. At quia de re hac agere cœpimus, hoc unũ ſpirituale his addam, cuius ſcholares certiores tuo ore vt fiant, velim. DVD. Quid iſthuc eſt? CAM. Quippe neminem eorum vllo vnq̃ tempore ſaluũ fore, ſi in iudicando errauerint, niſi quinq; impleat, quæ ad ſalutem Iuriſconſultorum ſunt neceſſaria. Primum vt minus idonei magiſterij inſignia nequaquam accipiant: de illis loquor, qui triennio in ſcholis ius audientes, ac vocabulis potius q̃ rebus operam nauantes; doctos ſe ſe eſſe cenſent. DVD. Poterunt poſtea proficere. CAM. Primum damno, & hoc ſecundum, ſi videro, non improbabo. Secundum, vt antequam iudicent, omnem actorũ ſeriem, quæ accurate legerint, in memoria habeãt. Tertium, vt Iuriſconſultos eam ob cauſam, anteq̃ iudicent, reuoluant, vt ius facto applicare ſciant, ne forte inter eos numerentur, qui cum iudicant, proprio iudicio leges nouas formant. Quartum, ne propter oblectamẽta huius vitæ, quibus operam plerũq; dant, lites terminare deſinant. Quintum, vt non ſolum, non prece, pretio, odio, vel amore iudicent, verum etiam, vt id quod in ſententia ſcribunt, agant, nempe vt quomodo exordiri incipiunt, viſo proceſſu, & cætera, quatuorq; ſanctis euangelijs coram nobis propoſitis, & per nos reuerenter inſpectis, dicimus, &c. eodem re ipſam mentem ſurſum attollant, dominum obſecrantes, cuius veritatem euangelia teſtantur, vt cum veritate iuſtum iudiciũ facere poſſint, hæc perſæpe pro mer-

cede

cede mei laboris vt repetas, obnixe rogo, quoniam Deus *non irridetur, & ille est, qui per os Prophetæ dicit: Si verè vtiq; iuStitiam loquimini, recTè iudicate filij hominū. Etenim in corde, iniquitates operamini in terra, iniustitias manus uestræ concinnant. Quare tu enarras iustitias meas, et assumis testamentum meum per os tuum? Tu verò odiSti disciplinam, & proiecisti sermones meos retrorsum. Si videbas furem, currebas cum eo, & cum adulteris portionem tuam ponebas. Os tuum abundauit malitia, & lingua tua concinnabat dolos. Sedens aduersum fratrem tuum loquebaris, et aduersum filium matris tuæ ponebas scandalum; Hæc feciSti, & tacui. existimaSti inique quod ero tui similis, arguam te, & statuam contra faciē tuam: quæ cum audisset Propheta, eueStigio subiunxit: Intelligite hæc, qui obliuiscimini Deum, ne quando rapiat, & non sit qui eripiat.* DVD. *Non ne & iSti, si eos peccasse pœniteat, salui erunt?* CAM. *Veh iudici, qui ante Pascha, nō ante diem illam cum iudicat, peccasse se cogitat: Scriptum enim est: non remittitur peccatū, nisi restituatur ablatum, quod quidem pauci Iudices faciunt. Dic quoque ista ijs, qui patroni causarum erunt; dic & ijs, qui procuratores euadent, qui pium opus se exercere putant, dum vel contra ius causas defendunt, vel nouas dilationes suis calumnijs obtinere student; horum planè animæ in pice viuent: qui habent aures audiendi audiant.*

FINIS.

ILLVSTRISSIMI AC REVERENdissimi Cardinalis, ad Bartholomæum Camerarium Epistola.

MIHI verò, Camerari, vt ea non deessent, quæ deesse fateor, quibusq; abundare falsò nos existimas, non ipsa tamen abs te ita rectè suscipitur, vti suscipi oportebat, causæ per nos disceptãdæ ratio: qui enim disceptatores possimus fieri, aut arbitri, vel iudicium subeunte vno te, vel veluti nos allegente? aut tu igitur talis vir, quiq; annos plus quadraginta in iure contriueris, tamen id non uidisti, quod vidisse debueras, aut iudicij ea in re, ingenijq; nostri profectò facere periculum uoluisti. Sed siue hoc fuerit, seu illud; miror eundem te, cuius sic præla nuper calebant igne purgatorio, vt vix adhuc refrixerint, non dubitasse lucubrationes de eo tuas vltro Paulo nuncupare, & Pontifici Summo, & homini nostræ ætatis eruditissimo, longéq; elegantissimo, nunc haud absimili in re tam repentè, tam religiosum apud grammatistas nescio quos factum esse: præsertim quum lucubrationes vtrasq; tuas stylo scriptas esse eodem sit verisimile. Quod si est; fateri te oportet vberiorem abs te Grãmaticos, ac Rhetores suæ importunitatis tulisse fructum, quàm Ecclesiæ principem suæ in te beneuolentiæ, ac liberalitatis, qui maiorem illorum, quàm sui rationem habueris. Verum tamen ne nos positum in hac rerum difficultate amicum

neglexisse apud Quirites quiriteris tuos (iocari enim hic libet) quod nostris est alienum moribus: patronis nobis quidem causæ, aut aduocatis vtere, quum voles, postquam iudicibus vti certè non potes; neque hoc te oportebit vereri, ne, si vel singulæ Grammaticorum omnium, qui hanc incolunt Vrbem, tribus, atque omnia pulpita litem tibi intentent, etiam si te quotidie ex iure manu consertum vocent, nos semel susceptum causæ patrocinium deseramus: præcidere tu tamen verbo vno, atque quantamcunque susceptam per istos actionem eludere, aut excludere potius, téq; ab ijs iudicio absoluere vel patrocinante nemine potes. Itaque nobis, si videbitur, authoribus sic Camerari facies: Quæres primùm ex istis, num scriptorum nostræ ætatis omnium libertatem ijs circunscriptam volunt terminis, ijsq; finibus, qui ante Socratis fuerunt tempora; quum videlicet rerum omnium, quæ vel ad hominum mores, vel quæ ad vitam, atque virtutem, quæ denique ad Rempub. ipsam pertinebant cognitio, et scientia esset cum dicendi ratione coniuncta: an potius tantundem tibi in eo fatebuntur licere, quantum Socrati eidem licuit, postq; hunc Socraticis omnibus: postremum hoc si tibi concesserint, vt certè concessuri sunt, modò nec opinanteis opprimas, nec fortè fortuna ex Scholasticorum, vt fit, suorum rixis incitatiores factos: tum hoc subiunges: num Socratem meminerint ista dignitate, sapientia, grauitate hominem, ad hæc, rerum omnium scientia præstantissimum, disertos homines dissociasse à doctis, eamq; dissociationem ita à Socraticis deinceps omnibus receptam fuisse, & vsurpatam, vt Philosophi eloquentiam despicerent, Ora-

tores ſapientiam? Quòd ſi quidquam iſtorum quiſpiam de Ariſtotele, qui Socratem eſt in multis ſequutus, non in hoc ſequutum eſſe obiecerit; vt eſt genus hominum illud ingenioſum planè, & acre; ne hic quidem tibi deerit quò confugias: Non enim ſponte ſua Ariſtoteles eloquentiam ad philoſophiam applicauit: ſed quòd Iſocratem videret ob eloquentiam celebrari diſcipulorum frequentia, offenſus Iſocratis ſplendore mutauit, qua erat ingenij fœlicitate, totam propè formam diſciplinæ ſuæ, ſéque in eloquentiæ eiuſdem caſtra, vnde in Iſocratis gloriam eiacularetur, coniecit: factúmque inde eſt, vt ſtatim Philippus, iudicio admirabili vir, Ariſtotelem filio doctorem aſciſceret, à quo eodem & agendi præcepta acciperet & eloquendi: Te verò, cui de uera, hoc eſt diuina philoſophia ſcribenti, nec ullus proponitur Alexander, quem inſtituas, neque aliquis hic (quod ſciam) apparet Iſocrates, qui pro cote tibi ſit ad exacuendam eloquentiæ uim, dicito grammaticis, etiam, ſi placet, rhetoribus, facile pati Peripateticos excitari aſſidua ſua exercitatione ad orationis elegantiam, contentum autem eſſe eundē te Socratis tacita quadam imitatione: Sed hunc tamen Camerari (quandoquidem cum populo negocium quotidie tibi ob remp. eſt) eatenus, ſi me audies, imitabere, ut ne uſque ad cicutam. Iſto igitur quem dicebamus cauillo (ita enim hic, ſi placet, appellemus) ſi contenti non erunt tui Rhetores, non deerunt alia deinceps tela his acutiora uel ex ipſorum deprompta armamentario, quæ per nos tibi affatim ſubminiſtrentur: Poteram hoc loco Paulum aſciſcere philoſophiæ iſtius, quam tractas principem, in ſubſidium cuius tibi eſſent præce-

pta pro lorica aduersum istorum impetus: tradidit is enim certè nobis tractandæ philosophiæ eiusdem normam, ad quam uelutì ad lapidem lydium nostrum omne docendi genus reuocari deberet, quæ norma ab istorum censura diuersa planè est, & aliena: Verùm parum apud illos valuisset, opinor, Tarsensis videlicet senis nescio cuius authoritas floribus eloquentiæ vix mediocriter aspersi; si ne illius quidem ipsius valere videtur, qui meritò ab ijs habeatur totius eloquentiæ parens; cuiusq́ ex officina vt omnia sumpsisse existimentur, se de ipsius nomine Ciceronianos appellant: Neque enim hos latet, nisi fortè, qui sit Marcus Tullius Cicero, quem sibi usurpant Deum, eosdem latet, quantùm is Philosophi in vocabulorum habendo delectu, totoq́ scribendi genere, quum de eo ipse tractaret, indulserit; idq́ ipsum indulserit in præceptis prophanæ philosophiæ tradendis: quid hunc porrò putas facturum tunc fuisse, quum fræna à Rhetoribus posita in talis philosophiæ gratiam laxaret, si de altera ibidem, hoc est si de sacris, si de Deo, si de ceremonijs, si de tota denique religione, vt alio dixit loco, dixisset? quam istorum superstitioni, atque supercilio securim iniecisset? vt vno omneis vulnere consauciasset? Sed longius nostra progressa est oratio, quàm par esset fortasse, certè plus aliquantò, quàm mihi initio proposuissem: eò uerò sua nos apud te importunitate impulerūt delicatuli isti vel sectæ Ciceronianæ assectatores, vel assectatorum simioli: quos ego Camerari, vt dicam leuissimè, attamen vt inter eos Latinè, planè ineptire arbitror: Atticè quoque (quoniam & ex ijs, neq́ sanè infœliciter, quidam atticissant) dicerem enimuerò, si possem.

Nam ad libellum ipsum quod attinet, quem et literis significas tuis, & cuius ante quatriduum mentionem apud nos, verùm perbreuem illam, quum ingressus in istorum esses refractariam disputationem, fecisti; is si ad nos abs te peruenerit, dabimus hoc certè libenter vel egregiæ tuæ in bonum commune voluntati; vel amicitiæ erga nos tuæ, vt tibi sententiam de eo nostram simpliciter aperiamus.

FINIS.